76

# MORES ET CONSVETVDINES ECCLESIÆ FLORENTINÆ

CODEX MS.

EX ARCHIVO

AEDILIVM S. MARIAE FLORIDAE

A DOMINICO MORENI

ACADEMICO FLORENTINO

ERVTVS EDITVS ET ILLVSTRATVS.

ACCEDIT VICARIORVM GENERALIVM

EJVSDEM ECCLESIAE

CATALOGVS

Nel Codice si legge Canonicae, e non Ecclesiae come ha scritto l'Editore.

FLORENTIAE MDCCXCIV.

TYPIS PETRI ALLEGRINII.

*Annuentibus Praesidibus.*

RAINERIO MANCINIO
PATRICIO CORTONENSI
PERVETVSTAE FESVLARVM CIVITATIS
EPISCOPO MERITISSIMO
SACRAE PHILOLOGIAE CVLTORI
ET PATRONO EXIMIO
RELIGIONE DOCTRINA PRVDENTIA
OMNI DENIQVE
VIRTVTVM GENERE ORNATO
QVEM FESVLANA DIOECESIS BONO SVO
NATVM
SVSPICIT VENERATVR COLIT
HVNC
DE ANTIQVIS
ECCLESIAE FLORENTNAE RITIBVS
LIBRVM
EX OBLIVIONE ATQVE INTERITV
NVNC PRIMVM RECEPTVM VINDICATVMQ.
DOMINICVS MORENI
IN PERENNE OBSERVANTIAE SVAE
ARGVMENTVM
D. D. D.

# BENEVOLO LECTORI

## DOMINICVS MORENI

## S. P. D.

EA est Sacrorum Rituum natura, ut quamdam Divinarum rerum reverentiam inspirent, mentesque in sui consideratione vel minimum intentas sensim ad Coelestia rapere soleant. Vnde et nulla unquam extitit in universo Orbe seu vera, seu falsa Religio, quae suos ritus non habuerit, quibus quasi incitamentis ad debitum suo Numini cultum populi allicerentur. Hinc insignis ille Veteris Legis Promulgator non inanem operam impendisse se existimavit, cum in describendis Sacrificorum Deo offerendorum Ritibus, integrum Scripturae Librum insumpsit. Verum quantum Veteri Novum praestat Testamentum, quantum veritas umbrae, ac figurae, tanto omnes Legis Mosaicae coeremonias superant intervallo Christianae Religionis Ritus, a quibus instituta a Christo, atque ab Apostolis, Virisque Apo-

Apostolicis promulgata Mysteria cuncta, non parvum decorem, ac robur accipunt. Nam ut scite scripsit piae, ac clarae memoriae Card. Bona: *Licet ipse Coeremoniae nullam secundum se perfectionem, nullam contineant Sanctitatem: sunt tamen actus externi Religionis, quibus quasi signis excitatur animus ad rerum Sacrarum venerationem, mens ad superiora elevatur, nutritur pietas, fovetur caritas, crescit Fides, devotio roboratur, instruuntur simpliciores, Dei cultus ornatur, conservatur Religio, & veri Fideles a Pseudochristianis, & Ortodoxis discernuntur*. Quanta porro sit earum vis, et efficacia docet Valentis Imperatoris Ariani exemplum, qui visis in Templo Catholicorum Sacris Ceremoniis, maximam, ut refert Baronius ad ann. 370. n. 46, erga res illorum reverentiam concepit.

Quapropter ad Ecclesiae Florentinae Ritus animum adiicere totis viribus curavi, ratus et mihi, et aliis rerum praesertim Sacrarum studiosis ex hocce opere utilitatis nonnihil accedere posse, cum obsoletos, et pene oblitos, quibus Majorum nostrorum pietas coaluit, et crevit, resuscitatos Ritus, ac palam expositos viderent. Hac ratione permotus Ludovicus Muratorius T. IV. *Antiq. Medii Aevi* Col.

831.

831. *de Ritibus Ambrosianae Ecclesiae* librum edidit, ac illustravit; Dominicus Georgius *de Liturgia Romanae Ecclesiae*; Can. Iohannes Iohannis *de Divinis Siculorum Officiis*; Odericus Senensis Ecclesiae Canonicus *de Ordine Senensi* nuper typis tradito, ac notis illustrato a D. Io. Chrysostomo Trombellio, ne praetermittam Martenium *de antiquis Ecclesiae Ritibus*, Thomassinum *de Veteri, & Nova Ecclesiae Disciplina*, aliosque quamplures, qui de Ritibus, deque vetustis Ecclesiarum Coeremoniis pertractarunt.

Codex noster membranaceus, cui titulus *Mores, & Consuetudines Ecclesie Florentine*, quem typis tradere Ant. Francisco Gorio, ut Ephemerides Flor. ad annum 1740. Col. 547. testantur, in animo erat, juxta Lamium *vere insignis, & quantivis pretii* extat in Aedilium S. Mariae Floridae Civitatis nostrae Tabulario, recenter cum tegumento ligneo provide conglutinatus, cujus character ferme rotundus adeo est temporis edacitate pluribus in locis abrasus, evanidus, et corruptus, ut absque alterius nitidioris Italici Codicis inibi existentis Soeculo XIV. excripti, adjutorio, plura, nisi divinentur, minime dignoscuntur. Summis quoque laudibus eumdem Bollandistae, Carolus Strozzius,

Fran-

Franciscus Cionaccius, Ioseph Richa T. VI. de *Ecclesiis Florentinis* pag. 199, Marcus Ant. Mozzius in *Actibus S. Crescii* pag. 129, et Mannius pag. 35, et seq. *dei principj della Religione Cristiana in Firenze*, quem vero deperditum se credidisse declarat, extollunt.

Ad ejusdem vero aetatem, quod spectat, dicendum est, XIII. Soeculo juxta Lamium, pluresque alios editum fuisse satis aperte constare, et si conjecturis locus daretur, inter annum 1228, et 1232. ejusdem aetas esset percensenda, nam omnium recentissimus, de quibus hic mentio fit, Sanctorum, est S. Franciscus Assisiensis, quem Gregorius IX. anno 1228. in Sanctorum Albo retulit, ast S. Antonii Paduani anno 1232. ab eodem Pontifice inter Coelites recensiti, sicut S. Dominici an. 1234, S. Helisabeth Vnghariae Reginae an. 1235, S. Petri Martyris an. 1253, et S. Clarae anno 1255, ne omittam Corporis Christi festivitatem ab Vrbano IV. Sum. Pont. an. 1264. institutam, nulla fit mentio. Notandum insuper est, quod has consuetudines Ardingus Episcopus Flor. an. 1231. XIV. Kal. Decembris, ut ex instrumento a Lamio in opere, cui titulus, *Memorab. Eccles. Flor.* T. III. pag. 1654, allato, his verbis confirmat, atque

sug-

suggellat: *Consuetudines omnes approbatas de Processionibus, Litaniis, Festivitatibus precipuis Majoris Ecclesie Flor. volumus &c. sub pena officii, & beneficii, & excommunicationis, inviolabiliter observari*. Cum vero ad calcem Codicis, nempe pag. 77. dicatur: *recepi ego Presbiter Salvi Cappellanus Canonice Flor.*, verisimiliter, ut videtur, hunc Codicem scriptum fuisse ab eodem Presbitero *Salvio*, concludi posset.

Quae praemittenda censuimus, ut Codicis antiquitas, ejusdemque pretium tibi, Lector Benevole, patefieret; fruere hoc meo, quicumque sit, labore, ac vale.

*Considerari oportet, quod in divino cultu multiplicis ritus varietas reperitur; unaquaeque fere namque Ecclesia proprias habet observantias, & in suo sensu abundat, nec censetur reprehensibile, vel absurdum Deum, & Sanctos ejus variis concentibus, seu modulationibus, atque diversis observantiis venerari: cum & ipsa Ecclesia triumphans secundum Prophetam circumdata sit varietate: & in ipsorum Ecclesiasticorum Sacramentorum administratione de iure consuetudinis varietas toleretur &c. Non igitur Lectoris moveatur animus, si fortassis in hoc Opusculo legerit, quae in sua non noverit Ecclesia observari, aut non invenerit quicquid ibi servatur.* Guillelm. Durandus Ration. Divin. Offic. in Proemio.

# MORES, ET CONSVETVDINES
# ECCLESIÆ (1) FLORENTINÆ

## *De Diebus Dominicis*

IN Dominicis diebus per totum annum pulsamus Vesperas, & Mattutina in hunc modum. Primo siquidem squillam solam per magnum, sive longum spatium. Secundo & continuatim aliam squillam, attamen parum. Tertio campanam Cleri, & parum similiter. Quarto aliqua mora intermissa pulsamus illam, que appellatur *Cangnazza* (2). Quinto parva mora transa-



(1) De hoc Codice ita ait Lamius in *Ephemeridibus Florentinis* ad annum 1764 pag. 359. „ Intitolandosi il libro *Mores*, *&* *Consuetudines*, è segno, che vi sono notati Riti antichissimi della nostra Chiesa, perchè lungo tempo vi vuole per introdurre costumi, e consuetudini. Queste però non hanno tutte la stessa epoca per principio, onde bisogna credere, che vi siano segnate delle consuetudini introdotte nè secoli posteriori; anzi le antichissime saranno poi state alterate, e mutate in varie parti, e circostanze. Ma comunque siasi, è questo libro *prezioso* per potere osservare, e discorrere delle Sacre Funzioni, e Cirimonie, che anticamente nella S. Fiorentina Chiesa si praticavano „.

(2) Virorum, aut mulierum nomina indi solere Campanis innotescit ex Helgaudo, et aliis. *Ingulfus fecit fieri duas magnas Campanas, quas Bartholomaeum, & Bettelinum cognominavit &c. & duas minores, quas Pegam, & Begam appellavit*. In Chronico Montis Sereni an. 1206. *Campanam de* 50. *centenariis fudit*

cta pulsamus producte (idest *alla distesa*) IIII. campanas simul.

*De Ferialibus diebus*

IN Ferialibus vero diebus per totum annum pulsamus primo squillam (1) solam per longum spatium; secundo & continuatim aliam squillam, veruntamen parum; tertio quadam mora intermissa pulsamus *Cangnazam*; quarto

---

*fudit, quam Hellembertus Havelbergensis Episcopus consecravit, Petronellam nominans*. Pari ratione dicta fuit *Ferrantina* illa, quae ceteras magnitudine, ac sonitu vincebat in Turri Majoris nostrae Ecclesiae, ut ex Historia Simonis de Tosa, qui habet: „ perchè fecela fare nel 1300. Ferrantino Ferrantini a onore di Messere Santo Zanobio. „

(1) *Squillae* adhuc usque *Campanulae*, sive parvae Campanae in Italia nominantur, ut videre licet apud Stephanum, et Guillelmum Durandum. *Squillae* vocabulo pro campana sumpto usus est Franc. Petrarcha in suis vernaculis cantionibus hisce verbis:

*E non sonò poi la Squilla*.

Item

*A Nona, a Vespro, all' Alba, & alle Squille*.

Eodem quoque ipsius *Squillae* vocabulo usi sunt Dantes, et Ariostus suis in scriptis non semel. Quaenam vero vox ista sit, nemo explicat, nisi Hieronymus Magius, qui è Gallia desumptam esse opinatur, inde apud nostrales verbum *Squillare*, ortum fuisse ait. Sed in Dictionariis Gallicis vox ista minime apparet, et a pluribus Gallis, et quidem eruditissimis, vox Gallica esse omnino negatur. Quamvis autem apud latinos auctores, et quidem vetustos *Squillae* nomen pro quadam herbae, ac piscis specie inveniatur; quid tamen hujusmodi vox pro campana significet, non satis constat, nisi verbum *Squillare* apud Italos pro sonitu quodam peracute sonante deductum, sumi solere dicamus; squilla enim talem sonum edere solet.

to alia mora premissa pulsamus squillonem solum; similiter facimus in Festis trium Lectionum.

*De Festis VIIII. Lectionum*

In Festis novem Lectionum, que non habent ita Festum apud nos facimus sicut in diebus ferialibus, excepto quarto loco, ubi pulsamus squillonem; subinde in Festis novem Lectionum pulsamus producte duas squillas simul.

Notandum autem quod, Festa novem Lectionum, in quibus debent pulsari quatuor campane producte & simul, in suis locis singula designata sunt per totum annum.

*De Summis Solemnitatibus, sive Festis*

In Summis Solemnitatibus, & Festis tenemus hunc modum. In Vesperis silicet, & Mattutinis, quia pulsamus quatuor vicibus omnes campanas distincte tamen. In prima enim vice pulsamus producte omnes campanas simul; in secunda quattuor campanas minores tantum; in tertia duas campanas simul; in quarta vero vice pulsamus sicut in prima omnes campanas. Similiter facimus in vigiliis Patronorum nostrorum.

*De Missis*

Item in Dominicalibus diebus per totum annum dicimus Missam popularem, & majorem, diversimode tamen. Cum enim dicimus Missam Populi in Ecclesiam Sancte Reparate, Missam majorem dicimus postea in Tertia in Ec-

clesia

clesia S. Iohannis Baptiste (1), & è converso.
Ab

---

(1) Unde hic ritus celebrandi saepe saepius, ut videre erit, Divina Officia in Ecclesia S. Iohannis, invaluerit, non patet. Eadem consuetudo Lucae vigebat vergente Soeculo XII., eamdemque firmam reddidit Sum. Pont. Caelestinus III. an. 1194. quodam suo Brevi ad Ecclesiae Matricis Canonicos Lucenses directo, in quo inter cetera legitur: *Celebrationem Baptismi, que ab Episcopo, & Canonicis S. Martini in vestra S. Reparate consuevit Ecclesia fieri; antiquas etiam Processiones, & Stationes, & Missas majores, que in eadem Ecclesia prefixis diebus ab iisdem Canonicis celebrari solent, vobis nichilominus, & per vos Ecclesie vestre, confirmamus &c. Constituimus autem, ut illis Dominicis diebus, & precipuis Festivitatibus, in quibus Canonici Majoris Ecclesie ad jam dictam Ecclesiam cum Processione venire consueverunt, veniant &c.* Hunc ritum Ecclesiae Lucensi, et Florentinae communem P. Vincentius Poggi Ord. Praed. in suo nuper edito *Ecclesiae Lucensis historiae specimine* pag. 76. his verbis explicat: „ Cessata di esser Cattedrale la Chiesa dei Santi Giovanni, e Reparata circa l' ottavo secolo, il Clero di S. Martino continuò a fare in S. Reparata le Funzioni proprie di Chiesa principale, o sia Cattedrale, perchè veniva considerata quasi Concattedrale con S. Martino. „ Ecclesiam nostram S. Iohannis fuisse priscis temporibus Matricem, satis abunde compertum est. Hac tantum de causa, prout videtur, Episcopi Flor. sponsata Monasterii S. Petri Majoris Abbatissa, Missam solemnem inibi juxta antiqua Ecclesiae nostrae instituta canebant, quem ritum soeculo XIII. viguisse constat ex *Regesto* Episcopatus Flor., in quo dicitur: 1286. *ultima die Iunii Iacobus Episcopus Flor. dum pervenit ad Ecclesiam S. Reparate paravit se paramentis ad cantandum Missam in Ecclesia S. Iohannis, ut moris est in primo adventu Episcopi Flor. Et tunc Canonici dicte Ecclesie S. Reparate, tunc ibi existentes, rogaverunt eumdem Dom. Episcopum, quod placeret ibi*
*cane-*

Ab hac generalitate excipimus primam Dominicam de Adventu, Dominicam Septuagesime, & primam Dominicam Quadragesime, in quibus Missam Populi dicimus semper in Ecclesia S. Iohannis, majorem vero in Ecclesia Sancte Reparate.

### *De Dominica Palmarum.*

In Dominica Palmarum (1) Missam Mattutinalem in neutra parte dicimus, ut solemus; sed

---

*canere Missam in Ecclesia S. Reparate, & ipse tunt dixit: ego vellem servare consuetudinem circa hanc Missam, quam vellem canere in Ecclesia S. Iohannis, sed quia me tantum rogatis, & gravatis, facio vobis gratiam in hoc, quia eam cantabo hic, non intendens per hoc derogare consuetudini hactenus observate circa hoc etc. Se opposuerunt Vicedomini dicentes, quod prima die, qua canitis Missam in Civitate Flor. in vestro adventu, debeatis eam canere in Ecclesia S. Iohannis, & hoc ita fuit, & est optentum de consuetudine per vestros Antecessores, & ideo vos requirimus, ut eadem dicta Ecclesia hac die Missam canere debeatis. Qui Dom. Episcopus audita protestatione predicta in continenti dixit: Ego volo canere Missam istam in Ecclesia S. Reparate, quoniam me rogaverunt Canonici huius Ecclesie etc.*

(1) Carolus Strozius in suis MSS. *Adversariis* ceremonias, quas Ecclesia Flor. hodie peragebat in Ecclesia S. Laurentii, refert, et ex Codice MS. cui titulus: *Mores, & Consuetudines Ecclesiae Flor.* in Archivo Aedituorum S. Mariae Floridae delitescente desumpsisse fatetur. Auctoritate ejusdem Caroli sileo; ast hic codex, quem ipse vidit, aut amplius non extat, aut vetustior, aut recentior est censendus, cum eumdem prorsus, quem typis trado, titulum praeseferat. Quomodocumque se se res habeat hi sunt ritus: *In Dominica Palmarum mane ante mediam Tertiam pulsetur ad Missam, & Clero,*

*Clero, & Populo congregato imus cum Clero, & Populo ad Ecclesiam S. Laurentii, sicut consuevimus, Cruce precedente, ibique Tertia dicitur, in qua dicitur Lectio etc. Finita Tertia, & preparatis Ministris in Tunica, & Dalmatica Episcopo, vel Sacerdote in Pluviali, dicto a Sacerdote* Dominus vobiscum, *& Oratione* Conserva, *Subdiaconus in Pulpito ascendens legat Lectionem de Exodo etc. qua finita Cantor incipiat.* ℟. In Monte Oliveti, *& solemniter cum sua societate decantet. Interim vero Sacerdos ponat incensum in Turribulo, & Diaconus petita benedictione, & accepta, incensato libro Evangelii, astantibus Ceroferariis cum luminibus legat Evangelium secundum Mattheum:* Cum appropinquasset Iesus Ierosolymam. *Quo finito benedicantur ab Episcopo Palme, & olive secundum Ordinem Sacramentarii; quibus benedictis, & incensatis, & aqua Sancta aspersis, fiat sermo ad Populum: Quo facto omnes Fratres nostri ibi accipiant Palmam, & olivas de manu Episcopi, vel Sacerdotis, & statim totus Clerus exeant in atrium ipsius Ecclesie, Cruce precedente, & faciant Clerum in ipso atrio, ita quod Episcopus, vel Sacerdos cum Ministris, & aliis quibusdam sociis ab occidente se collocent; alius autem Clerus ab oriente se ponat versis ad se vultibus, & Cruce posita coram Clero, qui est ab Oriente, Episcopus, vel Sacerdos cum genuflexione incipiat* Gloria, laus, et honor tibi sit; *& cantet cum sibi assistentibus, & alius Clerus.* ℟. Israel es tu, *et ad singulos binos versus repetatur ab Episcopo, vel Sacerdote:* Gloria, laus. *Dum vero hec cantantur Crucifer pedetentim propinquare debet Episcopo, vel Sacerdoti Finitis vero dictis versibus Episcopus, vel Sacerdos accipiat flores, quibus, dum Crucem aspergit, incipiat Ant.* Occurrerunt Turbe, *qua cantata Clerus ordinate cum Populo revertatur cantando Antiph.* Pueri Hebreorum, *& reliqua. Cum vero ventum fuerit ad Portam Civitatis, vel Ecclesie, aliquantula mora ibi facta, tunc aperiatur: in ipso ingressu incipiat Cantor Resp.* Ingrediente Domino, *& sonentur omnia signa, & vadant in Chorum, & dent palmas & olivas Populo.*

ctione Olivarum, datis olivis Clericis, dictaque Tertia in Ecclesia Sancti Iohannis. Consummatis etiam inter utramque Ecclesiam versibus, & antiphonis ad diem spectantibus, aspersisque floribus, procedimus in Ecclesiam Sancte Reparate, ibique damus olivas Populo. Post hec etiam ad Altare Beate Reparate ascendentes Missam devotissime celebramus. Precideat namque ista die Sacrista, (1) vel Sanctensis, ut tante de benedictis olivis reserventur, quante fuerint necessarie ad Cineres novos faciendos in prima die Quadragesime.

*In Die Cene Domini*

In Die Cene Domini dicta priori Missa in Ecclesia Sancti Iohannis (2), etiam post ipsam pulsetur una campana ad aliam Missam dicendam ad Altare Beati Iohannis Evangeliste, in qua, qui voluerint comunicari, comunicentur; tante autem hostie consecrentur in hac Missa, ut de ipsis possint reservari in diem Parasceven, idest pro

(1) *Sacrista* dignitas Ecclesiastica, cujus Officium, et jurisdictio in Conc. Toletano in Lib. I. *Decret.* Tit. 26. Cap. I. statuitur, *ut sciat se* Sacrista *subjectum Archidiacono, & ad ejus curam pertinere custodiam Sacrorum Vasorum, vestimenta Ecclesiasticorum, seu totius Thesauri Ecclesiae, nec non quae ad luminaria pertinent, sive in cera, sive in oleo.* Anno 1234. ut ex instrumento a Lamio Tom. III. pag. 1655. *Mem. Eccl. Flor.* allato, Ecclesiae Flor. Sacrista erat quidam *Martinus Filius Porci*.

(2) Edmondus Martene in suo *de Antiquis Ecclesiae Ritibus* aureo tractatu T. 3. pag. 97. primam Missam pro Poenitentibus, alteram vero pro Sacri Chrismatis confectione fuisse affirmat.

pro die Veneris Sancti. Deinceps vero non pulsetur aliqua campana (1) usque ad diem Parasceven, idest pro die Veneris Sancta. Deinceps vero non pulsetur aliqua campana usque ad diem Sabati Sancti, nisi ad Missam Episcopalem, que dicitur in Nona, in qua conficitur Sacramentum Crisma, tunc enim producte pulsentur omnia signa. Circa horam vespertinam dicooperiantur Altaria (2) per Sacerdotes, & Ministros Ecclesie. Interim vero dum discooperiuntur, incensentur ipsa Altaria per Sacerdotem albo indutum dicendo Psalmos Penitentiales, & Lenitanias. Hac die Canonici cum tota Familia debent recipere ab Episcopo refectionem splendide, & honorifice, & insuper XII. libras cere pro faciendo Cereo, qui benedicitur, & portatur ad Fontes in die Sabbati Sancti, & XX. soldos pro mandato (3), seu lotione pedum faciendo.

In

(1) In Triduo Hebdomadae Sanctae non pulsantur campanae, quia tunc Apostoli siluerunt, atque alii, qui per Campanas, ut scribit Guillelmus Durandus, intelliguntur, et designantur.

(2) De hac Altarium denudatione consulatur Isidorus *de Officiis Ecclesiasticis* Lib. I. Cap. 18. Rupertus Abbas *de Divinis Officiis* Lib. V. Cap. 31., *Amalarius de Ecclesiasticis Officiis* Llb. I. Cap. *de sexta varietate Coenae Domini*, Rabanus Maurc *de Instit. Cleric.* Lib. 2. Cap. 36. *de Coena Domini*, aliique.

(3) *Mandatum*, idest ablutio pedum, quae fit in Coena Domini, cum scilicet Chorus cantat illud Christi: *Mandatum novum do vobis:* de quo more S. Augustinus *Epist.* 119. C. 18. Chilienus Monachus in *Vita S. Brigidae* Cap. 2.

*Proxima Coena fuit Domini, qua Sancta solebat*
Mandatum *Christi calido complere lavacro*.

Syno-

## *In Die Parasceven.*

In Die Veneris Sancti hora quasi sexta fiat sonus ligneus, ut Populus ad Ecclesiam conveniat, ibidem devotissime permansurus, usque dum divina Mysteria fuerint plenarie celebrata.

Previdea namque Santensis, cui commissa est administratio Ecclesie, ut cum Populus ad Ecclesiam venerit, eam silicet Ecclesiam per totum mundam, & nitidam inveniat, precipue circa Altaria, quia nuda sunt. Lampades etiam purgate sint, & ornate. Vestimenta quoque Altarium debeant ablui, & mundari, si opus fuerit, ut in die Sabbati Sancti reponantur super Altaria. Hoc idem fiat de vestibus Crucium (1), si videbitur expedire. Hac etiam die in



---

Synodus Aquisgran. Can. 20. *in Coena Domini pedes Fratrum post* Mandatum *Abbas lavet, & obsculetur.* In quodam Instrumento Archivi Capitularis anno 1231. confecto habetur, quod *Christophorus de Burgo S. Sepulcri Syndicus, & Procurator Prepositi, & Capituli Flor. pro dicto Capitulo appellat ad Dom. Papam contra D.* ( Ardingum ) *Episcopum Flor., ut in die Cene Domini* Mandatum *cum Capitulo faciat, eadem die teneatur* 12. *libras cere dare, & Capitulo cum tota Familia comestionem honorifice fiat.*

(1) Quo Quadragesimae die Altarium Cruces in Ecclesia nostra tegi consuetum esset, prorsus ignoratur; constat vero Ecclesiam Senensem, ut in *Ordine* ejusdem Ecclesiae prima Quadragesimae Dominica cooperiri: *Ab hac die*, ibi legitur pag. 96., *ad Parasceven cooperiantur Cruces*, Belethus Cap. 85. *Explicationis Divin. Officior.* haec tradit: *Ornatus denique Altaris versatur in velamentis, Crucibus, capsis, textibus, & philacteriis &c. Sed de his, & similibus dici-*

in mane competenti hora incipiatur fieri Cereus, qui benedicendus est in die Sabbati Sancti, ad quem faciendum omnes Ecclesie servitiales, si commode fieri potest, debeant interesse, &, antequam divina incipiantur officia, compleatur, & si facultas aderit, in Ecclesiam deferatur.

*In Die Sabbati Sancti*

In Die Sabbati Sancti tempestive reparentur Altaria Paschalibus ornamentis; ad quod agendum Sacerdotes, & servitiales omnes intersint. Postmodum vero singuli prevideant officia, & ea, que agenda sunt hodie, & in crastinum. Hac etiam die circa horam sextam omnes Clerici de Civitate ad Matricem congregentur Ecclesiam, quibus silicet & Clero, & Populo in nostra Ecclesia congregato, hora competenti mittimus nuntium nostrum ad Ecclesiam Sancte Marie *supra Portam*, ut cereum benedicto igne accensum huc afferatur (1); Cum

---

*dicimus omnia illa, quae ad ornatum pertinent, tempore Quadragesimae debere abscondi, vel removeri, vel etiam contegi: nec Crux quoque illo tempore, nisi cooperta in Ecclesia portari debet.* Quem ritum Carthusienses adhuc observant.

(1) Ibi erant, ast modo in Ecclesia SS. Apostolorum extant quidam lapilli è Sepulchro Christi a Pazzio de Pazzis, ut fert fama, avulsi anno 1088., de quibus Ugolinus Verinus in opere, cui titulus *de Illustratione Urbis Florentiae* ait.

*Pactia Progenies Thuscis e montibus orta,*
*Antiqua, atque potens, Castellaque plurima rexit*
*Sub dictione sua, cujus de sanguine miles*
*Sub duce Gofredo conscendit moenia Syon*

*Pri-*

Cum autem ventum in nostram fuerit Ecclesiam Diaconus Dalmatica indutus usque ad descensum scalarum illis obvians predictum cereum suscipit, ipsumque sursum ferens dicit: *Lumen Christi*, ut in Ordinario continetur. Et ac-

---

*Primus, & hinc causa est, trivio quo lampas in illo*
*Sacra accendatur, priscum quae servat honorem.*

Io. Villanius, lib. I. *Chron. Flor*. cap. 60. ait. „ Il fuoco benedetto si spande per tutta la Città al modo, che si faceva in Ierusalem, che per ciascuna cosa vi andasse uno ad accenderlo, et di quella solennità venne alla Casa de' Pazzi la dignità, che hanno della gran facellina, intorno fa 140. anni per un loro antico nomato Pazzo, forte, e grande della persona, che portava maggior facellina, che nullo altro, et era il primo, che prendesse fuoco Santo, e poi li altri da lui. „ *Haec consuetudo adhuc viget, & Pat. Ios. Richa T. III. pag.* 236. *his verbis describit*: „ Acceso il fuoco con le tre pietre del S. Sepolcro di Gerusalemme, e benedetto, processionalmente dal Priore, e da molti Sacerdoti è portato per le vie della Città procedendo i Trombetti, e poscia quello, che porta un'Asta assai alta, sulla cima della quale èvvi un Globo di rame pieno di carboni accesi; sopra di esso vedesi un' arabesco grazioso, che pone in mezzo l' arme della Parte Guelfa; che è un Aquila con un Drago sotto i piedi, e sopra di quella posa un Cupolino, o sivvero una Lanterna con dentro il lume. Arrivata la Processione in S. Giovanni, ivi attende, che si principi la funzione nella Cattedrale, per poi entrare in Duomo, e consegnare al Clero il fuoco, col quale si accendono il Cero Pasquale, e i lumi, ed il fuoco, che si dispensa al Popolo, ed in ultimo il Carro pieno di fuochi artifiziati, che la Famiglia de' Pazzi annualmente fa ardere in quella mattina in sulla Piazza della medesima Cattedrale, in segno di giubbilo, e d' allegrezza della Resurrezione di Nostro Signore. „

accedens ad benedictionem cerei dicit: *Exultet jam Angelica Turba etc.* ut in *Sacramentario* habetur. Que dum fuerint consummata, reportetur ille prior cereus tamen extinctus, deinde legantur in Pulpito per Sacerdotes XII. Lectiones, que ipsi diei conveniunt, quilibet vero Sacerdos per ordinem post suam Lectionem Pluviali indutus dicat unam Orationem de his, que in Missali habentur. Quibus silicet Lectionibus, & Orationibus expletis, & Sacerdote cum Ministris adsistentibus preparato, Cruce, & Cereo benedicto precedentibus, bini, & bini procedimus ad Fontes dicendo, Letaniam *Septenam* (1), ibique facimus omnia, qne in *Sacramentario* continentur. Expletis igitur omnibus

---

(1) Quid sint Litaniae *Septenae, Quinae, & Ternae* in Ordine Romano T. X. *Biblioth. Patrum* edito apparent, cujus ergo sunt verba: *Interim Schola jussa facit Litaniam* Septenam *ad fontem ante Altare, primo* Septenam, *& spatio facto, faciant alteram* Quinam; *ita enim inchoatur. Stat Primicerius unus in dextro Choro, & dicit cum ipso*, Kirie Eleyson, *& respondet Secundicerius cum sinistro Choro* Kirie Eleyson *usque ter. Deinde* Christe Eleison *usque ter. Hoc fiunt septem vices repetitae, unde et* Septenae *dicuntur. Post haec* Christe audi nos *usque septies, & sic per ordinem. Hoc ordine, intervallo facto, sequntur, ut praedictum est, Litaniae* quinae, *idest quinquies repetitae*. Non me latet in Libris Liturgicis Etruscis diversis diversas haberi Litanias *Septenas, quinas, & ternas*, ut videre est in *Ordine Officiorum Ecclesiae Senensis* pag. 158. et seqq. unaquaque Ecclesia illas pro arbitrio, et lubitu concinnate. Quae praescribuntur in pervetusto Missali ad usum Ecclesiae Flor. in Biblioth. Laurentiana delitescente, sunt quae sequntur.

*Septe-*

bus circa Fontes revertimur in Ecclesiam Sancte Reparate, dicendo *ternam* Letaniam, ibique Missam statim incipimus, ad cujus inceptionem cum Sacerdos inceperit illum Angelicum Hymnum, silicet, *Gloria in Excelsis Deo*, pulsentur producte simul omnes campane una vice tantum, & non amplius ipsa die. Deinde cum audientur in nostra Ecclesia, sed non prius, pulsentur campane per omnes alias Ec-

---

| *Septenae* | *Quinae* | *Ternae* |
|---|---|---|
| Kyrie Leyson | Kyrie Leyson | Kyrie Leyson |
| Christe Leyson | Christe Leyson | Christe Leyson |
| S. Maria *ora ec.* | s. Michael *ora ec.* | s. Mathia *ora ec.* |
| s. Michael | s. Gabriel | s. Michael |
| s. Gabriel | s. Raphael | s. Gabriel |
| s. Raphael | s. Iacobe | s. Raphael |
| s. Iohannes | s. Iohannes | s. Bartholomee |
| s. Petre | s. Philippe | s. Tadae |
| s. Andrea | s. Valentine | s. Symon |
| s. Iacobe | s. Sixte | s. Corneli |
| s. Philippe | s. Tiburtii | s. et Cypriane |
| s. Stephane | s. Florenti | s. Ypolite |
| s. Laurenti | s. Gregori | s. Gorgone |
| s. Fabiane | s. Caliste | s. Gregorie |
| s. Sebastiane | s. Polentiana | s. Remigi |
| s. Ylari | s. Iuliana | s. Albine |
| s. Martine | s. Columba | s. Syre |
| s. Ambrosi | s. Praxedis | s. Candida |
| s. Augustine | s. Reparata | s. Iuliana |
| s. Felicitas | s. Agnes | s. Eufemia |
| s. Agnes | s. Cecilia | s. Brigida |
| s. Cecilia | s. Lucia | Omnes Sancti orate pro nobis. |
| s. Lucia | s. Christina | |
| s. Iuliana | s. Margherita | |
| Omnes Sancti, et Sancte Dei ora. ec. | Omnes Sancte ec. | |

Ecclesias (1). Notandum etiam, quod Cereus benedictus hodie, & deinceps per totam sequentem ebdomadam debet portari ad Fontes per Refectionarium (2).

*De*

---

(1) In Conc. Later. V. Sess. XI. Tom. V. Conc. pag. 179. sub Leone X. an. Dom. 1521. celebrato, decretum fuit, ut nulli Ecclesiae ante Matricem campanas pulsare liceret: *Ut debitus honor*, haec sunt Concilii verba, *Matrici Ecclesiae reddatur, tum ipsi Fratres, quam alii Clerici Soeculares, etiam super hoc Apostolicae Sedis privilegio muniti, die Sabbati Majoris Hebdomadae, antequam campana Cathedralis, vel Matricis Ecclesiae pulsaverit, campanas in Ecclesiis pulsare minime possint. Contrafacientes poenam centum ducatorum incurrat.* Haec inhibitio in Ecclesia Flor. jam vigebat an. 1327., ut videre est in prima Synodo, quam eodem anno habuit Franciscus de' Cingulo, in qua sub Rubrica IX. *de Officio Custodis* legitur: *Cum ab inferioribus superioribus debita reverentia debeatur, volumus, & mandamus, quod in Sabbato magno Paschali in Civitate, & Plebatu S. Iohannis Florentie nullius per quemquam attentetur campane pulsatio, priusquam Ecclesiae Cathedralis campanas sonantes audierint etc. Contrarium vero facientes pro vice qualibet in Lib. decem Flor. parv. nostre Camere persolvendis ipso facto condempnationi existant. Per premissa autem non intendimus alicui Ecclesie derogare*. Eadem Synodo sub. Rub. XI. *de Majoritate, & Obedientia* praeterea decretum est, *quod nullus Rector Ecclesiarum ad horas Canonicas cum Divina fuerint Offitia celebranda presumat pulsare, nisi prius pulsatione facta in nostra Ecclesia Cathedrali &c. Et qui contrarium fecerit pro vice qualibet in solidis viginti Flor. parv. nostre Camere persolvendis condempnatus existat.*

(2) Quid sibi velit hic ritus, inferius, cum de Resurrectione Domini acturi simus, dicemus.

### *De Prima Die Quadragesime*

In Prima Die Quadragesime, & deinceps per totam pulsamus ad horam sextam statim quando incipit. Ad Missam vero pulsamus ad arbitrium nostrum secundum temporis spatium, quod habemus. Cum enim habemus peragere longum Officium, tunc citius pulsamus ad Missam, & anticipamus horam. Quando vero breve officium peragendum est, tunc magis possumus differre pulsare ad Missam. Nona vero pulsatur statim post dictum Evangelium. Vespere vero pulsantur statim post dictum *Sanctus Sanctus Sanctus* hoc silicet ordine, quod primam, & secundam squillam pulsamus segregatim usque dum incipitur *Pater noster*. Post dictum *Pater noster* pulsamus tertiam campanam. Post dictum *Agnus Dei* pulsamus quartam campanam; vel si fuerit Festum novem Lectionum, seu Sabbatum pulsamus quarto loco duas, sive quatuor campanas, prout tale Festum requisiverit. Hoc observamus per totam Quadragesimam. In Vesperis vero Dominice statim quando incipit squilla Abatie (1) incipimus & nos pulsare Vesperas.

*De*

(1) Pro Abbatia antonomatice intelligitur illa, quam nunc Cassinenses incolunt, licet aliae in Urbe sint, ut S. *Mariae Angelorum*, Camaldulensium, *S. Tritatis*, et *S. Pancratii*, Vallumbrosanorum. Haec S. Mariae a Willa Comitissa, Hugonis Etruriae Ducis Matre, Soeculo X. condita, et instituta fuit, primumque Monasterium est, quod in Pomoerio, et ipsis

## *De Scructiniis in Quadragesima*

Item in Qudragesima fiunt septem scructinia (1) ad que peragenda Clerici de Civitate debent convenire, distincte tamen. Nam in primis sex Scructiniis tenemus hunc modum, silicet quod

---

ipsis moenibus prope contiguum, Monachis Ordinis S. Benedicti excipiendis, constructum fuerit, istudque tenuerunt, donec Soeculo XIV. Commendatarii Abbates introducti sunt. Tandem Soeculo XV. Abbates Monachi iterum sunt constituti, cum Monachi in S. Iustinae Patavii Congregationem essent adlecti; et horum primus Abbas celeber Gometius fuit. Hoc Monasterium, cui Imperator Conradus an. 1030. omnia jura, et bona confirmavit, Monasterium *Imperiale*, & *Regale* declaravit.

(1) Scrutinium a *Scrutando*, quia Catecumenis (idest noviter iustructis) scrutanda fides Christiana, et catechizzandi erant, idest, instruendi ad Fidei regulam audiendam, ut in Sacrosancta nostrae Redemptionis Solemnitate ex aqua, et spiritu renovarentur. Papias ait: *Scrutinium inter Baptismi, a scrutando dictum, utrum firma mente teneant, quae a magistris didicerunt*. S. Augustinus Lib. 2. de *Symbolo ad Cathec*: vocat Scrutinium *examen Catechumenorum*, et Cap. 61. *de Fide*, & *Operib.*, ait: *vel non intueamur alios, qui per annos singulos ad lavacrum regenerationis accurrunt, quales sint ipsis diebus, quibus catechizzantur, exorcizantur, scrutantur*. Idem dicit Tertullianus *de Baptismo*, Rubertus Tuitiensis Lib. *de Divinis Officiis* Cap. 18. 19. 20. Honorius August. Lib. 3. Cap. 53., Hugo a S. Victore Lib. 1. *de Sacram.* Cap. 17. Durandus Lib. 6. *Ration.* Cap. 56. Ioseph Vicecomes Lib. 3. Cap. 21. *de Antiq. Bapitsmi Ritibus*, pluresque alii. Septies in Quadragesima celebrabantur haec scrutinia, ut, dum septenario numero implerentur Catechumeni, infunderetur illis septiformis gratia Spiritus Sancti. In Ordine Romano

quod in primo Scructinio mittimus pro Clericis Porte S. Petri Majoris, & tunc debet dici Missa per Sacerdotem Ecclesie S. Apolenaris. In secundo pro Clericis Porte Sante Marie, & tunc debet dici Missa per aliquem Sacerdotem, sive S. Petri Scheradii, sive S. Stephani ad Pontem, vel Sancte Marie supra Portam. In tertio pro Clericis Porte S. Pancratii, & tunc debet dici Missa per aliquem Sacerdotem, sive Sancti Pancratii, sive Sancti Pauli, sive Sancti Michaelis Berteldi, sive Sancte Trinitatis, sive Sanctorum Apostolorum. In quarto pro Clericis Porte Domus, & tunc debet dici Missa per aliquem Sacerdotem, sive Sancti Laurentii, sive Sancte Marie Majoris. In quinto Scructinio pro Clericis Porte Sancti Petri Majoris, & Porte Sancte Marie simul, & tunc damus Missam uni Sacerdotum, qui non dixit

C in

---

mano commonentur Fideles, ut ad haec Scrutinia frequentes conveniant hisce verbis: *Scrutinii diem, dilectissimi Fratres, quo electi nostri divinitus instruantur, imminere cognoscite, ideoque sollicita devotione succedente sequenti quarta feria circa horam tertiam convenire dignemini*. Tria Scrutinia celebrabantur tertia Quadragesimae Hebdomada, scilicet, secunda, tertia feria, et Sabbato. In quarta Hebdomada similiter tria, et in iisdem diebus. In quinta unum tantum Scrutinium, quod Symbolum appellabatur, et erat aliorum maximum, in quo aures, et nares Catechumenorum digitis Presbyterorum tangebantur, de auctoritatibus, et initiis quatuor Evangeliorum instruebantur, et *Symbolum* percipiebant, et *Orationem Dominicam ad reddendum in Sabbatho Sancto*, ut ait Odericus in saepe saepius laudato *Ordine Officiorum Ecclesiae Senensis* pag. 104.

in preterito Scructinio. In sexto Scructinio pro Clericis Porte Sancti Pancratii, & Porte Domus, & illo eodem modo damus Missam, quo dedimus superius in quinto Scructinio. In septimo, & ultimo Scructinio circa horam tertiam pulsamus campanam Cleri, ut omnes Clerici de Civitate (1) conveniant, & tunc facimus totum officium per ordinem, sicut in Sacramentario continetur. Missam vero damus, cui melius nobis videtur convenire.

*De Resurrectione Domini*

In Die Sancte Resurrectionis pulsamus Vesperas, & Mattutina IIII. vicibus sicut in summis Solemnitatibus. Incipimus tamen pulsare, cum

(1) Clerici juxta Canones in praecipuis anni Solemniis ad Matricem Ecclesiam convenire tenebantur. Martene T. 1. pag. 122. *de Antiquis Ecclesiae Ritibus* refert Canonem Concilii Arverensis an. 535., in quo statuitur, *quod si Clerici improba temeritate contempserint, iisdem Festivitatibus, quibus in Civitatibus adesse despiciunt, communione pellantur*. Chardon in sua *de Baptisteriis* elucubratione ait: *Populus ter quotannis ad Matrices Ecclesias conferre se debebant, ut in pluribus statutum est Conciliis*. Idem videre est in cit. *Ordine Offic. Ecclesiae Senensis*. In prima Synodo Flor. habita anno 1327. decretum est, *quod Rectores Ecclesiarum, & Praelati earumdem Civitatis nostre venire debeant in Ecclesia nostra die Sabbati Sancti, Resurrectionis, in Festo B. Iohannis Baptiste, & B. Zenobii, & S. Reparate Patronorum nostrorum in primis, & secundis Vesperis, & Missis &c. Et teneantur Curati omnes in virtute obedientie tam civitatenses, quam Diocesani suos Parrochianos ad dictas Festivitates celebrandas, & colendas inducere, & quod ab omni opere servili dictis diebus debeant omnino cessare*.

cum restiterit. Missam namque Populi dicimus ex utraque parte, hoc silicet modo. Quod antequam incipiatur Missa in Ecclesia S. Iohannis debent recipi oblationes ad Missam, que dicitur in Ecclesia Sancte Reparate. Missam vero majorem dicimus in Ecclesia Sancte Reparate. Hodie namque in Vesperis, & deinceps per totam Edomadam usque ad Vesperum sexte ferie Processionem facimus ad Fontes Cruce, & Cereo precedentibus (1). Item hodie, si

---

(1) Adamussim adhuc viget haec consuetudo. Quid vero sibi velint hae Processiones ad Fontes Can. Odericus in suo *de Ordine Officiorum Eccles. Senensis* aureo tractatu pag. 187. his verbis enunciat. *Pulchra ratio est, ut Fontes devote, & celeberrime visitentur die Resurrectionis, & Neophiti ad Processionem Fontium deducantur, quando enim Neophitos dealbatos cum Cereis ardentibus precedente, & previo Crucis vexillo presentamus, quasi divini partus Solemnitatem, & Christo victore de Diabolo S. Ecclesiam obtinuisse triumphum, ac Filios eius in Regnum Christi, & Dei, & in regnum claritatis translatos, de potestate mortis, & tenebrarum commemoramus; Sancti enim Patres, ne rudibus ad Fidem venientibus Baptismi Sacramentum vilesceret, hanc Sacro Fonti reverentiam in Pascha, et Pentecoste exhiberi statuerunt, ut cum Baptizatus, qui Sacro Fonti, quasi Divino Parenti suo, tantam gratiam celebrari conspiceret, a spirituali regeneratione Sacri Baptismatis in se violare Sacramentum maxime pertimesceret, vel quod ad Processionem Fontium per septem dies solemniter imus, ad memoriam reducimus transitum Israel per mare rubrum, qui moratus est juxta litus septem diebus, & singulis veniebat ad litus cantans Domino Canticum Moysis;* Auctor Libri de *Divinis Officiis* sub nomine Alcuini ait ad rem nostram: *Nostri Baptizati ducuntur quotidie ad Ecclesiam* ( Baptismalem ) *Columna Cerei illuminata*.

si Episcopus adest, debet predicare, majorem Missam canere, nec non & Canonicis, totique eorum Familie commestionem dare.

*De Secunda Feria*

In Secunda Feria post Pascha pulsamus Vesperas, & Mattutinum sicut in die Pasce, & post dictam Missam Populi in Ecclesia Sancti Iohannis Baptiste, statim pulsamus campanam *crossam*, & dicimus aliam Missam ad Altare Sancte Reparate, qua dicta, pulsamus producte simul omnes campanas una vice, ut Clerus, & Populus ad Matricem congregentur Ecclesiam. Postmodum vero, facta alia mora, pulsamus secunda vice omnes campanas; Interim preparantur Crux, & Cassa cum paramentis, deinde aliqua mora intermissa pulsamus tertia vice omnes simul campanas producte, quibus peractis & Clero, & Populo congregato, Cantor incipit Antiphonam *Stetit Angelus*, ad cujus inceptionem arripimus iter nostrum, procedentes ad Ecclesiam Sancti Petri Majoris (1), ibique Tertiam, Missam Majorem, & Sextam dicimus (2).

In

---

(1) Ecclesiae D. Petri penitus collapsae Clerus Flor. alteram SS. Annunciatae substituit. Ast quae ordinantur inferius sub III., et IV. Feria nunc etiam vigent.

(2) Hic omittitur Ecclesiae nostrae consuetudo vetustissima istis usque temporibus servata procedendi hac die per illud Urbis compitum, quod suburbium S. Petri, seu *Albitiorum* in praesens vocatur, quo S. Zenobius Antistes Flor. filium unicum mulieris Gallicanae

In istis Processionibus, & omnibus aliis, quas per totum annum facimus, & in Letaniis, quando per viam canimus, debent pulsari campane per singulas Ecclesias, juxta quas transitum facimus. Ad ingressum etiam Ecclesie, quam adimus, incensum, & aquam benedictam honorifice recipere debemus. Hodie namque, & tertia, & quarta feria proxime sequentibus, & in diebus Rogationum fiat predicatio per Canonicos, vel cui duxerint committendum. Insuper notandum, quod quotiescumque per Civitatem Processionem facimus, de illis Sanctis, Antiphonas, seu Respensoria cantare debemus, juxta quorum Reliquias transitum habemus: Ab hac generalitate excipiuntur Festa Sanctorum Apostolorum Petri, & Andree, in quorum solemnitatibus, quando Processionem facimus, proprias Antiphonas, seu Responsoria cantamus. Nota etiam, quod, quando Le-

licanae mortuum Florentiae in vitam revocavit, ubi haec insequens Oratio ex pervetusto Sacramentario Barberiniano Romae ad usum Ecclesiae Flor. desumpta, dicebatur. *Oremus. Propitiare, quaesumus Domine, nobis famulis tuis per hujus S. Zenobii Confessoris tui, atque Pontificis, qui in loco isto, et in hac die, mortuum puerum suscitavit, merita gloriosa, & ejus pia intercessione ab omnibus semper muniamur adversis. Per Christum &c.* Qua dicta, laetitia huius Matris, ut demonstraretur, et renovaretur, omnes de Choro sparsim, et confusim ad Ecclesiam matricem laetantes revertebantur, ideoque nostris usque temporibus *la Processione degli scappati* dicebatur. Inibi haec insequens inscriptio in marmore exculpta adhuc visitur.

Letanias facimus (1), eundo cantamus, quod non facimus in aliis Processionibus, nisi Sancte Agate, quando circuimus Civitatem, tunc enim usque ad regressum nostrum per viam cantamus. Item in diebus Rogationum, & in die

---

ΣΗΝ ΤΕΩ

*B. Zenobius Puerum a Matre Gallica Romam eunte*
*Sibi creditum atque interea mortuum dum eadem*
*Reversa sibi Urbem lustranti hoc loco*
*Conquerens occurrit signo Crucis*
*Ad vitam revocat an. Sal. CCCC.*

Ad hunc lapidem sistebant orantes Episcopi, dum sponsata Abbatissa S. Petri Majoris ad Ecclesiam matricem solemniter ibant: revera an. 1286. ultimo mensis Iunii id fecisse Dom. Fr. Iacobum de Perusio Episc. Flor. constat ex *Regesto* in Archio Canonii Ecclesiae Flor. existente: Ibi enim legitur. *Dum idem Dom. Episcopus fuit ad quemdam lapidem, qui dicitur Lapis S. Zenobii, ubi, prout dicitur, quemdam puerum defunctum B. Zenobius Flor. Episc. in simili adventu Florentiam suscitavit in Burgo S. Petri Majoris, ibi aliquantulum restitit, & oravit. Et post dictam Orationem genuflexit super dicto lapide, & postmodum surgens iter assumpsit versus Ecclesiam S. Reparate*. Hanc consuetudinem adhuc viguisse an. 1383. 1508., 1513., et 1523. ex eodem *Regesto* aperte constat.

(1) Hic *Litania* pro Supplicatione, seu Processione usurpari videtur, nam Processiones aliquando apud antiquos Scriptores *Litaniae* appellantur. Revera juxta Mabillonium T. 2. *Mus. Ital.* Arcadius Augustus in Rescripto in Haereticos dato ad Clearcum Urbis Praefectum, *interdicit iis omnibus* ad Litaniam *faciendam intra Civitatem, noctu, vel interdiu, profanis coire conventibus*.

die Sancte Agate post regressum nostrum Missam dicimus ad Altare Sancte Reparate.

*De Tertia Feria*

In tertia Feria post Pascha pulsamus Vesperas, & Mattutinum, sicut in die Pasce, & procedimus ad Ecclesiam Sancti Pauli, (1) & facimus omnia eodem modo, quo supra dictum est in precedenti secunda Feria.

*De Quarta Feria*

In Quarta Feria pulsamus tribus vicibus IIII. campanas in Mattutinis, & Vesperis, sed ad Processiones pulsamus omnes campanas producte simul, sicut factum est superius in secunda, & tertia feria, procedimus enim hodie ad Ecclesiam Sancti Laurentii (2). In quinta

(1) Ecclesia S. Pauli vetusta est, et Collegium habuit Canonicorum; Carmelitae Strictioris Observantiae modo eam ab anno 1618. tenent. Quum S. Dominicus Florentiam Fratres suos misisset, hi primum in Xenodochio S. Pancratii substiterunt, deinde ad hanc Ecclesiam, quae tandem ad Capitulum Flor. devenit, migrarunt, demum Ecclesiam S. Mariae Novellae, seu *inter vineas* obtinuerunt.

(2) Omittendum minime est, quod hanc Basilicam, quae ut Coelestini III. Sum. Pont. verbis utar in Constitutione quadam an. 1191. ad Clerum Laurentianum *Caput Florentine Ecclesie fuisse videtur*, dicavit S. Ambrosius vergente IV. Soeculo, ut ipsemet testatur in sua *de Exortatione ad Virgines* Homilia, dum dicit: *Ea igitur vidua est S. Iuliana, quae hoc Domino Templum paravit, atque obtulit; quod hodie dedicamus, digna tali oblatione, quae in sobole*

ta, & sexta Feria, & Sabbato pulsamus Vesperas, & Mattutinum sicut in Dominica.

*In Octava Resurrectionis*

In Ottava Pasce sicut in Die Resurrectionis pulsamus.

Item notandum, quod ab octava Resurrectionis usque ad Ascensionem cotidie in Vesperis, & Mattutinis quarto loco pulsamus duas squillas producte simul. Illis dumtaxat tribus diebus exceptis, in quibus ante Ascensionem Letaniam facimus, tunc enim, quia reticemus *Te Deum, & Gloria in Excelsis Deo*, pulsamus quarto loco Squillonem solum, sicut in simplicibus ferialibus facere solemus. Ista quidem vera sunt, nisi Festum interveniat.

*De Ascensione Domini*

In Ascensione pulsamus IIII. vicibus, sicut in summis Solemnitatibus. Missam Populi dicimus

*le sua Templa jam Domino pudicitiae, atque integritate servavit*. Et infra: *Egregia sane Foemina, quae sibi nihil reliquit, totum, quod habuit, Deo obtulit*. Hanc eamdem Ecclesiam Nicolaus II. Pont. Max. reparavit, et reparatam consecravit, omniumque suorum bonorum investituram tradidit, inter quae sunt fundus magnus ad Munionem, et fundi in Cartitulo, et Iunceto, Mons S. Laurentii, et fundus in Monte Hugonis, ut videre est in tertio meo Vol. pag. 53., cui titulus: *Notizie Istoriche dei Contorni di Firenze*. Idem Pontifex eodem anno Monasterium S. Felicitatis pene destructum restituit, illustri Sanctimonialium Coetu ibidem collocato, et eius Ecclesiam dicavit, et bona, et iura confirmavit, et soli Episcopo Flor. subjecit.

cimus in Ecclesia S. Reparate, Majorem vero in Ecclesia Sancti Iohannis Baptiste. Infra octavam quarto loco pulsamus cotidie duas squillas producte simul.

In duobus diebus, qui veniunt post Octavam Ascensionis, sexta Feria, silicet, & Sabbato pulsamus sicut in Ferialbus diebus, nisi Festivitas interveniat.

*In Pentecostes*

IN Sabbato Sancto Pentecostes reficimus cereum (1) de illa cera, que reservatur de cereo Resurrectionis, silicet benedicto, quem portamus hodie ad Fontes. Circa vero horam tertiam, vel parum post, pulsamus campanam Cleri, ut Clerici de civitate, & Catecumini (2) con-



(1) Utrum nec ne hic Cereus iterum hac die benediceretur, ut mos erat singularis, teste Martenio T. 3. pag. 193, *de Antiquis Ecclesiae Ritibus*, in Ecclesia Bisuntina, non satis innotescit. At abs re non erit hic dubitandi locus, cum vigilia Pentecostes tantam cum Paschatis vigilia affinitatem in Ecclesia nostra habebat, ut eosdem pene in utraque ritus advertere liceat.

(2) Ex his eruitur, quot Soeculis perseveraverit mos ille Christianorum, nempe non statim a nativitate, uti nunc facimus, batizandi infantes. Nisi aegritudo, periculumque vitae imminebat, Sacramenti perceptio a plerisque differebatur usque ad Paschatis, et Pentecostes vigilias, quibus solemnem Baptismum Ecclesiae celebrabant. Eoque deducebantur Pueri interdum aliquot annos nati. Bernardus Abbas Clusinus Soeculo Christi XI., ut ex ejus vita a Wilelmo Monaco scripta, atque a Mabillonio edita num. 42. ajebat: *Trium eram annorum, quando Baptismi gratiam percepi*.

conveniant, quibus congregatis, dicimus sex Prophetias ad ipsam diem pertinentes, postmodum vero imus ad Fontes benedicendos, ibique facimus omnia quemadmodum & in Sabbato Sancto ante Resurrectionem peractum est ad Fontes (1). Post Benedictionem vero Fontium, Cruce, & Cereo Benedicto precedentibus, rever-

---

(1) Fontes Baptismales erant, et adhuc sunt in Ecclesia S. Iohannis, nec alii fuerunt per Urbem; quia Baptisteria nonnisi in Cathedralibus extabant, quia cum priscis temporibus soli baptizarent Episcopi, solae etiam, in quibus residebant iidem, Ecclesiae Baptisteria habebant, ut observat Martene *de Antiq. Eccles. Rit.* Lib. I. Grancolas *Commetar. Historic. in Breviar. Roman.* Lib. 2. Cap. 68., Panvinius *de Appellat. Eccl. Affric.* Cap. 28., Benedictus XIV. in *Notif.* I., Laurentius Bertius *de Theolog. Disciplinis* Lib. XXXI. Cap. XI., Chardon *de Baptisteriis*, et Claudius Fleurì T. III. n. VIII. *Disciplina Populi Dei*. *Illud observatione dignum existimo*, ait Ducange T. I. pag. 1001. *Glossar. ad Scriptores med. & inf. latinit.*, *Florentiae ( ut & Pisis, Pistorii, Bononiae, Parmae, Urbeveteri, & alibi ) è regione maximi Templi Ecclesia est rotunda S. Ioanni Baptistae Sacra; hanc Baptisterium appellamus, tota & haec marmorea, habens januas, quas aenae valvae operis egregii occludunt. In medio Ecclesiae Baptisterium* ( quod anno 1576. remotum fuit, nec amplius extat ) *è marmore lucidissimo positum videtur, in quo Florentini omnes Baptismi lavacrum percipiunt, nec alibi quisquam praeterquam in hoc Baptisterio aquis salutaribus tingitur. Quae quidem adnotare libuit, tamquam veteris moris institutum, cum olim in Civitatibus in Ecclesiis tantum Cathedralibus, aut iis adiunctis Baptisteriis Baptismus conferretur, in quibus etiam num supersunt ejusmodi Baptisteria, tametsi nulli fere usui*. Iohannes Boccaccius mire describit formam ejusdem pervetusti nostri Baptisterii his verbis: „ S. Giovanni

vertimur in Ecclesiam Sancte Reparate dicendo Letaniam *ternam*, & dicimus Missam Vigilie. Cum autem Sacerdos inceperit *Gloria in Excelsis Deo* pulsentur IIII. campane producte simul una vice. Dicta Missa ad Cenam imus (1), Vesperum vero pulsamus, cum audietur. IIII. vici-

---

vanni è il Tempio antico di Fiorenza, nel quale è una Pila grande di Marmo, nella quale stanno più che 12. persone, et anticamente vi baptezzavano molti insieme, perchè si baptezza una volta, o due l' anno, e in tutta la Città non è altro Baptistero; et intorno a questa grande Pila sono quattro fori di Marmo larghi quanto vi cape un' uomo diritto, nè quali stavano i Sacerdoti a baptezare, per la moltitudine della gente. Advenne al tempo di Dante v' era entrato col capo di sotto un fanciullo, per tal modo stava, che non si poteva estrarre fuori, e Dante vi s' abbattè, et con una Scura la ruppe, e campollo, che annegava. „

(1) Ex hoc quia eruitur tunc temporis vitam communem inter Canonicos nostros adhuc viguisse, quaedam de hac leviter delibare fert animus. Undecumque Canonicorum nomen defluxerit, compertum habemus, Clericos soeculares ita appellatos demum fuisse, qui simul in communi domo habitarent, et communi vitae ratione, mensa, habitu, instituto uterentur. Nam Canonici Soeculares, perinde ac Regulares (hoc enim discrimen tractu temporis inductum fuit) in eodem Claustro manebant, in eodem Dormitorio dormiebant, in eodem Refectorio reficiebantur, et Episcopus horum regebat vitam, sicut Abbas Monachorum, quod de Clericis suae aetatis S. Augustinus testatur Serm. 1. *de Comm. Vita Clericor.* et in Psal. IC.. Ardingus Episc. Flor. an. 1231. decrevit, *quod Canonici Flor. simul jaceant omnes continue, si sani erunt, in uno, & eodem Dormitorio. Item quod omnes comedant simul in uno, & eodem Refecto-*

vicibus, sicut in summis Solemnitatibus. Missam Populi ex utraque parte dicimus eo silicet modo, quo supra dictum est in die Resurrectionis. Majorem vero in Ecclesia Sancte Reparate. In Secunda Feria post Pascha pulsamus Vesperum, & Mattutinum sicut in die Pasce. Feria vero Tertia pulsamus, prout in Festo duplici. In aliis vero diebus infra Octavam, sicut in Dominica. In Octava quidem, sicut in Dominica solum.

*In Dominica Sancte Trinitatis*

In Dominica Sancte Trinitatis pulsamus Vesperum, & Mattutinum tribus vicibus IIII. campanas. Et est sciendum, quod quandocumque in Vesperis, & Mattutinis pulsamus tribus vicibus quattuor campanas, incipimus pulsare statim quando incipit.

De

---

*fectorio, nisi aliquando, & raro, aliquis eorum prope bonum Hospitem discedat*. Hujus vitae Canonicorum nostrorum communis mentio offenditur in celeberrimo Speciosi Episc. Flor. Diplomate DCCXXIV., quae quidem vetustissima omnium est Canonicorum memoria post barbararum gentium in Italia incursiones. Sed in caussa est, cur subspicer, Clerum Flor. a prima suae Chatedralis Ecclesiae institutione, numquam ab hac disciplina, et norma vivendi decidisse: non enim credibile est, tunc Canonicos Flor. incaepisse, quum Speciosus Episcopus multa iis largitus est, quod et Episcopi ejus successores deinde fecerant. Septimo igitur soeculo jam fuerint, immo et sexto; non enim B. Mauritius Episcopus Flor. Clerum suum ab antiquae disciplinae vigore desciscere permisisset; ergo et ab initio, serie non interrupta.

*De Festivitatibus per Anni Circulum ,*
*Et primo de Sancto Andrea .*

In Festo S. *Andree* pulsamus Vesperas & Matutinum . Vespere vero Vigilie pulsantur parum post Nonam , quia postea imus ad dicendum Vesperum ad Ecclesiam Sancti Andree de Foro Veteri ( 1 ) , ubi dicimus Psalmos Feriales sub Antiphonis Ferialibus , in nostra enim Ecclesia propter Festum , quod habemus ea die aliter facimus . In mane vero dicta Missa Populi in Ecclesia Sancti Iohannis statim post ipsam pulsamus unam campanam ad aliam Missam , quam dicimus de Festo ; post istam Missam hora competenti pulsamus segregatim tres campanas , veruntamen parum , ut Canonici (2) in Ecclesiam congregentur ; in-

---

(1) Ecclesia S. Andreae Ap., quae prope Forum Vetus sita est, Parthenon Virginum olim fuit , nempe soeculo IX. , et Episcoporum Flor. juris erat, qui cum in beneficium Hugoni Thusciae Duci concessissent, Podo Antistes SS. sub soeculi X. exitum supplicibus verbis ab eo repetiit, qui , hortante etiam Iuditha ejus Conjuge , lubenter , liberaliterque restituit . Receptum igitur et Parthenonem eidem Canonicae Flor. Ecclesiae munifice donavit , et Gerardus Episcopus ei confirmavit . Quando Sanctimonales habere desierit, ignotum est . Compertum tamen habemus anno circiter 1024. Petrum Abbatem Monasterii S. Mariae Flor., Parthenonem illum instaurasse , atque iterum Sanctimoniales in eo collocasse , quod et feliciter executus est , Valdrada Abbatissa constituta.

(2) Anno 1286. . ut ex instrumento a Lamio producto in Opere , cui titulus *Mem. Eccl. Flor.* T. 2. pag. 1134.

interim vero preparentur Crux, & cassa cum paramentis in Ecclesia, quibus silicet Canonicis togis, vel capis indutis, & Cruce, & cassa cum paramentis in Ecclesia ordinatis, pulsentur quatuor campane producte simul, & incipiatur Processio honeste, ac suaviter versus Ecclesiam Sancti predicti, assumptis Antiphonis, & Responsoriis diei competentibus per viam canendis Cruce, & cassa predictis per viam etiam precedentibus. Cum itaque perven-

---

1134. constat, quod pauci admodum fuerunt Flor. Ecclesiae Canonici. Nam ibi soli tres cum Praeposito, qui totum constituebant Capitulum, memorantur. Item in alio Arch. Diplomat. instrumento an. 1319. dicitur: *Convocato Capitulo Majoris Ecclesie Flor., nempe Praeposito, & Symone de Syminettis, & Manno de Signa omnibus Canonicis dicte Ecclesie asserentibus se esse, & existentibus duas partes, & ultra Canonicorum residentium ad presens in dicta Ecclesia ad Capitulum &c.* Hic, adrepta occasione, qui in Historia MS. eorumdem a Salvinio Salvini improbo labore congesta, et dein per Reverendiss. Iosephum de Albizzis Ecclesiae Florentin. Archidiaconum meritissimum in Syllogen typis tradita anno 1782. sunt praetermissi, ex instrumentis ejusdem Archivi Diplomat. depromptis, sunt recensendi; videlicet, Theodaldus, et Petrus an. 1066., Paulus, Rolandinus, Dodo, Gratianus, et Guidus 1073., Rodolphinus, Theodaldus, et Theuzzo 1094., Iohannes Ildebrandi 1129., Uguccio, Ugo, et alius Ugo, Vicedominus, et Albertus Archid., et Prepositus 1156., Raynerius, et Uliverius 1264., Mag. Nicolaus Neapolitanus 1299, Cerus 1303, Iacobus Clari 1357, Zafinus de Aretio 1370., Mag. Nicolaus Neapolitanus 1394, Paulus Schiattesius Vic. Gen. Episcopi Fesul. 1467. Iacobus Nicolai Bonvanni 1466, 1478., Ser Paulus Companni de Prato 1505, et Franciscus Bocchi 1486.

ventum fuerit ad ipsam, quam supradiximus, Ecclesiam, Sacerdos in medium Chori veniens incipit Tertiam, que dum dicitur, Sacerdos cum Diacono, & Subdiacono ad Missam canendam preparentur, qua dicta, dicimus inde Sextam, post dictam Sextam, Cruce precedente, ad domum propriam cum gaudio remeantes nihil cantamus per viam.

Hunc quidem Ordinem, qui hic prenotatus est, servamus in Festo predicto, nec non & in Festo Sancti Pancratii, Sancti Petri, Sancti Apolenaris, & Sancte Felicitatis.

Pro Sancto *Nicholao*, quia habemus reliquias ipsius in Altari Sancte Marie, pulsamus tribus vicibus quattuor campanas.

Pro Sancto *Ambrosio* (1) pro Sancta *Lucia*

---

(1) S. Ambrosium Florentiam a Civibus invitatum, et rogatum venisse anno 393. ineunte, et in domum Decentis viri Christiani receptum fuisse, cujus Filium Pansophium mortuum in vitam revocavit, testatur Paulus Diaconus in Vita S. Ambrosii, dum ait: ***Faventiae cum aliquantis degeret diebus, invitatus a Florentinis ad Tusciam usque descendit;*** quod idem S. Doctor affirmat ***in Exhortatione ad Virgines***, quae juxta Borghinium dici deberet: „ „ Sermone recitato a Fiorenza nel consacrare la Basilica Ambrosiana sotto il Titolo di S. Lorenzo, „ o in simile altro modo. „ Idem Basilicam Ambrosianam, quae deinde Basilicae S. Laurentii nomen sumpsit, rite dicavit Sacris SS. Vitalis, et Agricolae Lipsanis Bononiae repertis in ea collocatis. Orationem tunc publice habuit, in qua tres Iulianae filias hujus Basilicae fundatricis ad Virginitatem servandam est adhortatus. Hic idem Sanctus Florentiae manens Eugenio Tyranno scripsit, quem in

*cia* tribus vicibus IIII. campanas, & aptentur Lampane, & preparetur Altare Beate Marie, ibi enim sunt Reliquie. Occurrit etiam nobis ipsa die Consecratio Altaris Sancti Iohannis Evangeliste, ideoque Missam in Tertiam dicimus ad ejusdem Altare. Missam vero Populi dicimus ad altare Beate Marie; In mane pulsato primo ad Missam majori Tintinnabulo. Hac etiam die consuevimus ire ad Festum S. Lucie de Massa Pagana (1). Pro Sancto Thoma Apostolo.

*De Nativitate Domini*

In Vigilia Nativitatis Domini circa horam nonam dicimus Missam Vigilie, pulsato prius ad Missam competenti hora. Vesperi vero pulsantur ad inceptionem IIII. silicet vicibus, sicut in summis Solemnitatibus, quas dicimus ante Cenam. Provideat enim Sanctensis, cui commissa est administratio Ecclesie, ut Ecclesia ante horam Vespertinam munda sit, & nitida per totum pavimentum, lampades etiam munde sint, & ornate. Altaria quoque parentur Paschalibus ornamentis.

In

---

in Italiam descendentem Mediolano discedens fugerat. Ob tanta S. Ambrosii erga se merita opinor, Florentinos, Ecclesiam ejus nomini dicatam ad Florentiam in Petra Mala erexisse.

(1) Haec Ecclesia, quae prope Galluzzum extra Civitatis moenia sita est, et II. circiter M. P. Florentia ad meridiem distat, ab Innocentio VIII. ann. 1489. Ecclesiae Flor. copulata fuit, ut videre est, ea quae diximus Vol. 2. pag. 106. operis inscripti. *Notizie Istoriche dei Contorni di Firenze ec.*

IN Nocte Nativitatis Domini media nocte surgendum est, ut divina Officia debita reverentia persolvantur. Ad Mattutinum igitur, & Vesperos diei pulsamus, sicut in Vesperis Vigilie. Ad Missam vero, que in nocte dicitur, non pulsamus aliquod signum (1). Cum autem apparuerit Aurora, pulsamus majorem campanam ad Missam Populi, qua dicta, Prima ad Altare Sancti Ioannis Evangeliste dicitur ibidem, dum vero dicitur *Agnus Dei* pulsetur secundo ad aliam Missam, que statim post illam immediate dicitur ad Altare Sancti Zenobii cum Officio *Puer natus*, quod dicitur etiam in Tertia. Ad istam Missam communicentur, qui communicari voluerint.

Circa mediam Tertiam pulsentur omnes campane ad Majorem Missam, & Clero, & Populo congregato (2) in Ecclesia Sancti Iohan-



(1) *Signum* hic pro campana sumitur, ut in libro perantiquo, qui *Ordo Romanus* inscribitur, videre licet, quia sonitu ipsius datur signum, sive indicium faciendi aliquid in Ecclesia, sive in aliis locis, in quibus campana pulsatur.

(2) Ad ampliorem hac die demonstrandam Religionem, et inter Populos caritatem, et vinculum inter oves, et supremum cujusque dioecesis Pastorem non fiebant peculiares conventus, sed omnes in majori Ecclesia conveniebant, tam ex Vrbibus, quam ex circumpositis Villis, ut uno animo, una omnes mente cum Episcopo proprio divina celebrarent mysteria. Hinc Conc. Aurelianense IV. Can. V. *Quisquis*, inquit, *de prioribus civibus Pascha extra Civitatem tenere voluerit, sciat, sibi a cuncta Synodo esse prohibitum; sed*

hannis Baptiste dicimus ibidem Tertiam; interim preparatur Episcopus cum suis Ministris ad Missam canendam, quibus preparatis, procedimus in Ecclesiam Sancte Reparate Cruce, & cereis precedentibus, & tunc secundum antiquum usum debent pulsari omnes campane. Ipsa namque die Canonici cum tota familia canonice debent cum Episcopo mandacare (1).

### *De Sancto Stephano.*

PRO Sancto *Stephano* pulsamus in Vesperis, & Mattutinis, sicut in Nativitate Domini, & Missam Populi dicimus de Festo ad Altare Sancti Luce, nam ibi habentur Reliquie Beati Stephani. Ipsa etiam die Epistola, & Evangelium debent cantari per Diaconos tantum ad Missam silicet de Festo. Item tali die solemus ire ad Festum Sancti Stephani ad Pontem (2).

De

---

*sed principales festivitates sub praesentia Episcopi teneant, ubi Sanctum decet esse conventum.* Quibus similia habentur in Conc. Agathensi Can. 63, in Aurelianensi I. Can. 25, in Epaonensi Can. 35. Hinc S. Athanasius in Apologia ad Constantinum rationem reddens, cur in majori Ecclesia Synaxim coegisset: *Festum erat Paschae*, inquit, *& tanta vis populorum aderat, quantum Christianorum in Urbe esse Christicolae principes optarint.*

(1) *Christophorus de Burgo S. Sepulchri*: ut ex instrum. an. 1231. a Lamio T. 3. pag. 1656. *Mem. Eccl. Flor.* allato apparet, *Syndicus, & Procurator Prepsiti, & Capituli Flor. pro dicto Capitulo appellat ad Dom. Papam contra D.* (Ardingum) *Episcopum Flor., ut in die Nativitatis, & Resurrectionis omnibus Canonicis, & eorum Familiis, secum in mensa prebeat comestionem.*

(2) Haec Ecclesia S. Stephani *ad Pontem veterem*, seu

de

## *De Sancto Iohanne Evangelista*

PRO Sancto *Iohanne Evangelista* pulsamus in Vesperis, & Mattutino, sicut in summis Solemnitatibus, & ornatur Altare ipsius, & tota Cappella mirtibus, & lauro, prout sublimius possumus.

Vigiliam vero non dicimus propter reverentiam Dominice Nativitatis, sed in mane dicimus duas Missas tempestive. Primam, inquam, de Vigilia, pulsato prius ad Missam majori tintinnabulo. Circa finem vero istius Misse, dum dicitur, *Agnus Dei* pulsetur ad secundam Missam, que dicitur de Festo; qua dicta pulsentur omnes campane ad predicationem, facta vero predicatione, pulsentur iterum omnes campane ad majorem Missam dicendam, et facimus versus ejus Altare more solito Processionem, & Epistolam, et Evangelium dici a Sacerdotibus propter reverentiam ipsius Beatissimi Evangeliste,

## *De Innocentibus*

PRO *Innocentibus* pulsamus IIII. vicibus, sed in tertia vice omnes campanas, & dicimus Mis-

---

*de Capite Pontis*, seu *ad Portam Ferream* vetustissima esse perhibetur, et antiquitus extra Urbis moenia extabat, non procul a *Porta S. Mariae*, seu *Reginae*. Collegium habuit Canonicorum. Ejus Paroeciae cura Prioribus, et Fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini ab Observantia nuncupatis, ex Congregatione Iliceti, ibi jam commorantibus, auctoritate Sixti V. Pont. Max. an. 1585. demandata fuit.

Missam Populi ad Altare Sancti Iohannis Evangeliste; Missam vero in Tertia de Nativitate ad Altare Sancte Reparate (1). Preterea notandum est, quod cotidie in Vesperis, & Mattutinis Processiones ad Altaria facimus, sicut in Ordinario designatum est, usque dum consumentur Octave.

*De Sancto Thoma Martyre*

PRO Sancto *Thoma* Martyre pulsamus IIII. vicibus, sicut in summis Festis, & preparetur, & ornetur ejus Altare, & Lampades apponantur, nec non & mirtus, & laurus, si haberi potest, Missamque Populi, & majorem dicimus ad ejus Altare (2).

In

---

(1) Ex dictis, et ex dicendis, quod octo erant Altaria in vetusta Divae Reparatae Ecclesia, eruitur, nempe Altare S. Reparatae, quod, ut iisdem nostri Codicis verbis utar, erat *desuper Voltas*, idest supra Confessionem, S. Zenobii *ſuper Voltas*, S. Thomae Mart., S. Iohannis Evangelistae, S. Mariae, S. Luciae, S. Marci, et S. Matthaei. Notandum, quod multum temporis perduravit usus, jam longa annorum serie robustus, vocandi hanc Ecclesiam S. Reparate, Populo negligente a nomine inveterato recedere; quare Senatus Consultum Soeculo XV. factum est, quo jussum fuit, ut non alio nomine appellaretur, quam *S. Mariae Floridae*, seu *ab Flore*, de quo consulatur Ferd. *del Migliore* pag. 8.

(2) In Arch. Diplom. insequens habetur instrumentum, in quo de hujus Altaris renovatione mentio fit, videlicet; In nomine Dei Amen: Anno ejusdem Nativitatis MCCCXXXIX. Mensis Iul. Pont. SS. Patris Dom. Benedicti Pape XII. anno V. Cum providus, et discre-

In die, qui sequitur Festum Sancti Thome Martyris pulsamus sicut in Dominica. Pro Sancto Silvestro pulsamus tribus vicibus quatuor campanas, & Missam Populi dicimus ad Altare Sancti Marchi, majorem vero similiter, & facimus Processionem in Vesperis, & Mattutinis.

In

---

discretus vir bone memorie Mag. Andreas olim Ser Philippi Sapiti Civis Flor. condiderit testamentum scriptum manu Ser Iohannis Paganelli de Florentia Notarii, in quo inter alia, que nuncupativo testamento disposuit legatum, seu relictum fecit per hec verba videlicet: Item jussit, et voluit, quod de bonis suis expendantur mille floreni auri per suos fideicommissarios, et executores pro una Cappella fundanda, et edificanda, et dotanda, et ornanda in Ecclesia Sancte Reparate de Floren., que major Ecclesie est civitatis, et Cathedralis ad honorem, et laudem Omnipotentis Dei, et B. Gloriose Virginis Matris ejus, et SS. Apostolorum, Andree, Iacobi, Iohannis, et *B. Thome Mart. de Cantuaria* in hunc modum, qui sequitur, videlicet, quod in costructione ipsius Cappelle expendantur ducenti floreni auri, et in Calice, Missali, et Paramentis tam Altaris, quam Sacerdotis centum flor., et de residuo, videlicet, septingentis florenis emantur possessiones pro dotatione ipsius Capelle, et quod ad ipsam Cappellam gubernandam, et regendam eligantur duo Cappellani perpetui, qui cotidie, et singulis diebus, quando poterunt, commode celebrent Missas, et divina officia pro animabus ipsius testatoris parentum, filiorum, fratrum, sororum, suorum propinquorum, benefactorum ipsius tam viventium, quam mortuorum, et salute omnium successorum suorum, et quod dicte possessiones in duas partes dividantur, et cuilibet de dictis Cappellanis sua assignetur pro victu, et vestitu ipsorum etc.

## *In Octava Nativitatis.*

IN Octava Domini pulsamus in Vesperis, & Mattutinis, sicut in die Nativitatis Domini. Missam Populi dicimus ad Altare Sancte Marie. Circa mediam Tertiam pulsentur omnes campane ad majorem Missam, quam dicimus in Ecclesiam Sancti Iohannis Baptiste (1) primo tamen preparatis Sacerdote cum Diacono, & Subdiacono facimus Processionem de Ecclesia Sancte Reparate in Ecclesiam Sancti Iohannis.

Pro Octava Sancti Stephani, sicut in Dominica. Pro Octava Sancti Iohannis tribus vicibus quatuor campanas. Pro Octava Sanctorum Innocentum duas squillas producte simul. Pro Octava Sancti Thome Martyris duas sqnillas producte simul.

*In*

---

(1) Basilicam S. Iohannis fuisse Vrbis Matricem satis aperte constat ex antiquis instrumentis, in quibus saepe saepius Episcopus noster appellatur *Episcopus S. Iohannis*, aut *S. Iohannis Baptiste Servus, & indignus Episcopus*; et eadem Ecclesia aliquando nuncupatur *Episcopium S. Iohannis Baptiste*. Insuper Dantes Aligherius his utitur verbis, nempe: *Ovile di S. Giovanni*, et alibi *la Città del Battista.* Quo tempore vero esse desierit Ecclesia matrix Lamius in suis *Lection. Hetruscis* T. 1. pag. 140. his verbis affirmat: „ Essendo sorto, cioè circa il principio del VII. Secolo, il bel Tempio di S. Giovanni, fù per la vicinanza unito colla Pieve di S. Reparata, e formò l' uno, e l' altra un solo Episcopio; onde è, che nel Secolo seguente, vale a dire nel 724. il nostro Vescovo Specioso in una sua Carta si serve della seguente espressione: *Infra Plebe, & Episcopio B. Ioannis Baptiste, vel Reparate Martyris, unde ego Episcopus esse videor.*

*In Epiphania.*

In Vigilia Epiphanie pulsamus sicut in summis Solemnitatibus. Ad arbitrium tamen nostrum anticipamus horam. In Vesperis, & Mattutino igitur, quia apud nos habetur pro maxima Solemnitate, dicimus Vesperas, & pulsamus parum post Nonam. Utrumque tamen Vesperum dicimus in Ecclesia Sancti Iohannis Baptiste, nec non, & Missam majorem, facta primo Processione, Missam vero Populi in Ecclesia Sancte Reparate. In nocte siquidem consummatis Laudibus, imus ad benedicendos Fontes (1), sicut in Sacramentario continetur. Hac

(1) Ritum benedicendi Fontes Baptismales hac nocte in Ecclesia inter alias Etruriae nostra invaluisse constat, et admodum pauca inter ceteras Italiae reperiuntur exempla. Ecclesia vero Orientalis non tantum Fontes benedicit, sed Baptismum inde confert, ut patet ex ejus *Euchologio*, et ex Gregorio Nysseno, qui hac nocte Orationem de Baptismate ad Baptizandos se dixisse fatetur. Neque vero singularis fuit Orientalibus in Epiphania baptizandi consuetudo, ea siquidem viguit in Sicilia, cujus universos eam ob causam Episcopos redarguit S. Leo in *Epist.* 16., qui per canones in toto integro anno ad recipiendum Baptismum duo tantum tempora destinata erant, Paschalis scilicet Solennitas, et Pentecostes. Hinc in nonnullis Ecclesiis, et quod mirum in nostra, remansit benedictio tantum solemnis aquae, quae nocte fiebat, ut patet ex Chrysostomo in *Homilia Baptismi Christi*. Ex hac aqua Graeci non solum aspergebantur, et potabantur, sed etiam domum referebant plenos Calices, cui Deus hanc largiebatur Benedictionem, ut pluribus annis incorrupta permaneret, atque hujus miraculi testis est

Hac etiam die annuntietur Populo terminus Septuagesime, & Quadragesime in utraque Missa. Per totam enim Octavam Epiphanie pulsamus in Vesperis, & Matutinis duas squillas producte simul. In Octava vero quatuor vicibus quatuor campanas.

Pro Sancto *Marcello* (1) sicut in Dominica Pro Sanctis *Fabiano*, & *Sebastiano* tribus vicibus quatuor campanas, & dicimus Vesprum, cum Antiphona ad *Benedictus* ad Altare Sancti Iohannis Evangeliste.

Pro

---

est idem S. Chrysostomus loc. cit. *In hac Solemnitate*, inquit, *sub mediam noctem cum omnes aquam acceperint, domum Calices referunt, & recondunt, & per integrum annum conservant, utpote quod hodierna die sanctificatae fint aquae: fitque miraculum evidens, dum nihil temporis longinquitate aquarum illarum natura vitiatur, sed integro anno, atque biennio, & triennio saepe, quae hodie fuit hausta, incorrupta, & recens permanet, ac post tantum temporis cum iis, quae fuerint fontibus eductae, certat*. Aliud prodigium refert S Epiphanius *Haer.* 51. n. 29. 30., quod hac ipsa die suo tempore pluribus in locis contingere solebat, conversionem scilicet aquae in vinum.

(1) Hunc S. Pontificem plures Ecclesias Florentiae consecrasse opinio si non falsa, saltem dubia invexit, quia nullis est innixa fundamentis, nempe Ecclesiam S. Mariae de Vghis, in cujus peristylio erant haec verba insculpta: *Hanc S. Pelagius PP. consecravit die Jan. an.* CCCCC.; deinde Ecclesiam S. Mariae Majoris, in qua insequens legebatur inscriptio: *Sanctus Pelagius PP. consecravit hanc Ecclesiam S. Mari Majoris sub A. Dom. D. VI. die* 25. *Aprilis*, quae commutata est cum altera prope Aram Maximam posita, et tandem Ecclesiam S. Mineatis inter Turres an. DVII.

Pro Sancta *Agnete* pulsamus sicut in Dominicis, & dicimus Vesperas parum post Nonam, quia imus postea ad dicendum aliud Vesperum ad Ecclesiam Sancti Petri Majoris; in mane vero pulsamus ad Processionem, nec Crucem portamus, neque per viam cantamus, sicut soliti sumus, sed solummodo cappis induti, cassa cum paramentis precedente illuc pergimus, ibique Tertiam, Missamque majorem, & Sextam dicimus, primo tamen quam eamus, dicimus hic Mattutinalem Missam (1) de Festo, silicet, sicut solemus.

Pro Sancto *Vincentio* (2) sicut in Dominica. Pro Sancta *Emerentiana*, & quia ea die occurrit nobis Consecratio Altaris Sancte Marie, pulsamus tribus vicibus quatuor campanas, Missamque dicimus in Tertia ad predictum Altare. Pro *Conversione Sancti Pauli*, sicut in Dominica. Pro *Translatione Beati Zenobii* (3) quatuor vici-



---

(1) *Missa Mattutinalis*, est quae post exactas Matutinas dicebatur, vel summo mane.

(2) Ecclesia huic Sancto dicata, quae erat Oratorium, vel Sacellum Episcopi, quia erat in Episcopio, jam soeculo XII. existebat; et haec est ratio, cur iste Sanctus in quibusdam Episcoporum instrumentis inter Episcopatus Patronos recenseatur, ut apud Vghellium pag. 177., Cerracchinium pag. 69. et 119. videre est. Hoc Sacellum in Episcopii renovatione comprehensum cum esset, dirutum fuit.

(3) Octavo Kal. Feb. an. CCCCIX., si Actis apocriphis est praestanda fides, Corpus S. Zenobii ex Basilica Ambrosiana in S. Reparatae Aedem translatum est, cujus Feretrum ulmum aridam in via tangens, eam statim florere coepit. Quod haec transla-

vicibus omnes campanas, Missam in Tertia, & utrumque Vesperum ad ejus Altare dicimus, totumque officium facimus, sicut in sua festivitate, ipsumque Altare paramus, & per circuitum mundetur pavimentum, & lampades reaptentur. Pro Sancto *Ignatio* duas squillas.

Pro *Purificatione Sancte Marie* pulsamus quatuor vicibus, sicut in summis Solemnitatibus, et

---

slatio revera secuta sit, nullus it inficias, ast sequioribus soeculis probabilius celebrata est; rei autem vetustate, et facti oblivione, et Scriptorum ignorantia, tempora confusa fuerunt. Prope Ecclesiam S. Iohannis adhuc legitur haec inscriptio.

*Anno ab Incarnatione Domini CCCCVIIII.*
*Die XXVI. Januarii tempore Imperatorum*
*Arkadii et Honorii anno XI. feria quinta*
*Dum de Basilica Sancti Laurentii*
*Ad Majorem Ecclesiam Florentinam Corpus S. Zenobii*
*Florentinorum Episcopi feretro portaretur*
*Erat hoc in loco ulmus arbor arida tunc existens*
*Quam cum feretrum Sancti Corporis tetigisset*
*Subito frondes et flores miraculose produxit*
*In cujus miraculi memoriam Christiani Civesq. Florentini*
*In loco sublatae Arboris*
*Hic hanc Colupnam cum Cruce*
*In signo notabili erexerunt.*

Quid de hoc epigrammate recentiores emunctae naris Scriptores sentiant auctor *Hoedeporici Charitonis, et Hippophili*, nempe Lamius, Part II. pag. 525. his verbis annuntiat. „ Si riconosce falsissima l' iscrizione, che è nella Colonna della Piazza di San Giovanni. In questa dicesi trasferito il Corpo di S. Zanobi nel 400., oltre a infiniti altri caratteri di supposizione, e falsità, che la dimostrano fatta ne' tempi bassi, e ignoranti, siccome si conosce pure alle lettere. „ Idemque adfirmat in *Ephemeridibus Flor.* ad an. 1767.

& paretur Altare ipsius, & lampades ante ipsum, Missamque Populi, & majorem ibidem dicimus, & procedimus cum Antiphona ad *Magnificat*, & cum *Te Deum* coram ipso Altario. *Hac die ad Missam Populi benedicuntur Candele, & debet Sanctensis suis expensis dare Candelas Canonicis, & toti Familie veniunt, & Canonicis, & Cappellanis* (1) Circa vero mediam Tertiam pulsentur omnes campane ad majorem Missam, & facimus Processionem in Sanctum Iohannem, & coram suis Ianuis ea, que in Ordinario continentur. Pro Santo *Blasio* sicut in Dominica. Pro Sancta *Agata* tribus quatuor campanas, in mane vero circa mediam Tertiam pulsentur tribus vicibus omnes campane, ut Clerus, & Populus ad Matricem congregentur Ecclesiam; quibus Clero, & Populo congregato dicimus Tertiam, qua dicta procedimus, & circuimus civitatem Cantore incipiente Responsorium: *Quis es tu que &c.* Quo dicto cantamus de illis Sanctis, juxta quorum Reliquias transitum habemus, Cruce, & Tabula, in qua est ymago

---

(1) Haec verba, quae notantur, desunt in Codice, ast posteriori manu ad oram paginae supplentur. Nec mirum; quia de hac Cereorum benedictione, ut observat Martene T. 3. pag. 45. *de Antiq. Eccl. Ritibus* nulla fit mentio, neque apud Amalarium, Valfridum, et vulgatum Alcuinum; sed neque in Galesiano, Gregoriano, Gellonensi, aliisque supra nongentos annos scriptis Sacramentariis aliquid ea de re extat, quod forte primaevum comprobat Ecclesiae nostrae ritum. Ast, ut videbitur paulo inferius, in die S. Agatae Cerei in Purificatione B. Mariae benedicti memorantur.

go (1) Sancte Agate precedentibus per viam. In hac quidem Processione cantantur quatuor Evangelia, quorum primum dicitur ad Portam Sancti Petri, quod dicatur per aliquem Canonicorum. Alterum ad Plateam Pontis Veteris ultra Arnum per aliquem Canonicorum Sancti Petri Scheradii (2). Tertium a Capite Pontis Carrarie citra Arnum per Cappellanum Sancti Pancratii. Quartum ad Portam Sancti Iohannis

---

(1) Vetustissima adhuc extat Imago S. Agathae, quae per civitatem hac die circumfertur.

(2) Ecclesia S. Petri Scheradii structura ipsa extrinseca vetustatem ostendebat. Tribus navibus, vetusto ritu, constabat, fronte ad Occidentem conversa, confessione sub Presbiterio subterranea jacente. Ecclesia perampla, Symmetria Vitruviana, si Vincentio Borghinio fides est adhibenda. Intra Urbis moenia, sed juxta, et prope in poemerio, continebatur. Eam Prior, et Clericorum cononice viventium Collegium curabant, nam Paraeciam habebat. Cur vero *Scheradius* dicatur, Iohan. Villanius Lib. 3. Cap. 2. scriptum reliquit, *Scheradium* fuisse foveam, quae aquam pluviam universae urbis excipiebat, et in Arnum ducebat. Hujus Ecclesiae pars, navis scilicet, quae Septentrionem spectabat, sub initium soeculi XV. eversa est. Sed ea navi deleta, cum deformis Ecclesia remansisset, altera quoque navis muro intermedio sejuncta est, quae ad meridiem vergebat, et societatis cujusdam coetui excipiendo destinata, quae tandem et ipsa diruta est, ut Novem Virum commodo cederet. Media itaque, et princeps adhuc supererat, sed et ipsa quidem parte anteriore mutila, et Canonica, et Turri campanaria, et Porticu, ut olim habebat, carens, quo ibidem aedificari posset Peistylium illud elegans, et magnificum, in quo sedes suas diversi Civitatis Magistratus haberent, quod sub Cosmo I. contigit.

nis, ad hostium silicet Domus Opere, quod dicatur per aliquem Cappellanum nostrum Sancte Reparate. Preterea ubicumque dicuntur ista quatuor Evangelia, ibidem per Plebanum debet apponi quedam Crux de cera, sive Candela, que benedicta fuerit in die Purificationis Sancte Marie. Post regressum vero nostrum dicimus Missam de Festo ad Altare Sancte Reparate, in quo sunt Reliquie Sancte Agate. Ad regressum etiam nostrum producte omnia signa pulsentur.

Pro *Cattedra Sancti Petri* sicut in Dominica, pro Sancto *Mathia*, pro S. *Gregorio* (1), pro Sancto

(1) Honophrius Episcopus Flor. an. 1393. decrevit, ut dies SS. Gregorii, Ambrosii, Hioronymi, et Augustini, poenas gravissimas infligens, tamquam festivi, et solemnes observarentur: Haec sunt verba. Pensantes actentius intra nostri pectoris claustra quanta veneratione sit dignus gloriosorum quatuor Doctorum Ecclesie Dei cetus, quamque decens summis attollere vocibus, et laudibus infinitis, ac specialibus honoribus venerari; quorum, ut scribitur in Canone, perlucida, et salutaria documenta predietam illustrarunt Ecclesiam, decorarunt virtutibus, et moribus informarunt: quasi per luminosas, ardentesque lucernas super Candelabrum in Domo Domini positas errorum tenebris profugatis totius corpus Ecclesie tamquam sydus irridiatur mattutinum, quorum etiam fecunda facundia celestis irrigui: gratia influente Scripturarum eruginata reserat, solvit nodos, obscura dilucidat, dubiaque declarat, profundis quoque, atque decoris illorum sermonibus amplie ipsius Ecclesie fabrica velut gemmis vernantibus rutilat, et verborum elegantia singulari gloriosus sublimata coruscat. Et quod (proh dolor!) nedum ut vere dignum, et iustum est in Ci-

Sancto *Benedicto*, sicut in Dominica. In *Annuntiatione Sancte Marie*, sicut in summis Solemnitatibus, & dicimus Missam in Tertia cum Processione ad *Magnificat*, & ad *Te Deum*.

Pro Sancto *Crescentio* (1), cujus corpus habe-

---

Civitate, et Diecesi nostra talium festivitates celebrentur a manualibus, et aliis operibus abstinendo; sed vix talium dies a non minima subditorum nostrorum habentur in notitia quantitate; hanc ob rem igitur de nostri Capituli consilio, et assensu tantum cupientes errorem abolere, et caligantes oculos astergere ad honorem, reverentiam, augmentum, et gloriam militantis Eeclesie, eiusque Sponsi Beatissimi Dom. nostri Bonifatii IX., salutemque nostram, ac omnium subditorum nostrorum statuimus, disponimus, et precipimus sub excomunicationis pena quatenus futuris temporibus, quolibet anno in perpetuum omnes, et singuli nostre Iurisdictioni suppositi teneantur, et debeant, Festivitates dictorum quatuor doctorum SS. Gregorii, Ambrosii, Augustini, et Hieronymi, sicut fit de festo cuiuslibet alterius Sancti ab Ecclesia Dei precepto solemniter, et festive celebrare, a quibuscumque manualibus operibus, et aliis similibus prohibitis abstinendo, cum devotione, et spe retributionis eterne, injungentes, et indulgentes ex nunc singulariter celebrantibus, ut prefertur, quamlibet dictarum Festivitatum quadraginta dies in Festo, et pro Festo, et pro remissione suorum peccatorum. Contrafacientibus autem auctoritate Omnipotentis Dei, et potestate, qua fungimur, maledictionem comminantes, et nuntiantes sempiternam in secula seculorum.

(1) S. Crescentium S. Zenobii Subdiaconum 3. Kal. Maii ann. 398. ad Superos evolasse Scriptores adfirmant. Ejus Lipsana anno 1590. cum hac Inscriptione reperta sunt in Ecclesia nostra S. Mariae Floridae.

Re-

bemus in Altari Sancti Marci, pulsamus tribus vicibus, sed in tertia vice omnes campanas, Missamque dicimus ad predictum Altare. Pro Sancto *Georgio* (1) sicut in Dominica. Pro Sancto *Marco* pulsamus quatuor vicibus, sicut in summis Festis, Missamque Populi, & utrumque Vesperum dicimus ad ejus Altare. In mane vero hora competenti pulsentur omnia signa producte simul tribus vicibus, ut Clerus, & Populus conveniant, quibus congregatis dicatur Tertia, qua dicta incipiat Cantor Antiphonam *Exurge Domine*, & Psalmus *Deus Auribus*, cum *Gloria Patri*, & repetitur. Sequitur alia Antiphona, *Clementissime*, postea alia *Gregem tuum*, & Cruce precedente procedimus in Ecclesiam Sancti Iohannis, ubi dicimus Letanias, quibus dictis, orationem Dominicam, silicet *Pater noster*, qua dicta procedimus ad Ecclesiam Sancti Laurentii, unde dictis Letaniis, & facto Sermone ad Populum, revertimur cantando ad nostram Ecclesiam, & tunc ad regressum nostrum produ-

---

*Reliquiae Sanctorum*
*Eugenii & Crescentii & Sanctorum*
*Abdon & Sennen Martyrum*
*Et aliorum Sanctorum.*

(1) SS. Georgii, et Mamiliani in Clivo extat Ecclesia, et Monasterium Sanctimonialium Ordinis S. Benedicti Congregationis Vallisumbrose, addito titulo *Spiritus Sancti*. Hunc Parthenonem olim tenuere Dominicani ab Observantia, postea Monachi Silvestrini Congregationis Montis Fani, et deinde adnexum fuit Monasterio Vallumbrosano S. Salvii in *Paratinula*, de quo, Deo favente, plura quamprimum dicturi erimus in sexto Volum., cui titulus: *Notizie Istoriche dei Contorni di Firenze*.

ducte pulsentur omnia signa, & dicimus Missam de Letaniis ad Altare Sancte Reparate. Hunc ordinem, qui hic assignatus est, servamus in aliis Letaniis, quas facimus ante Ascensionem.

Item predicta die preparetur Altare S. Marci vestimentis Paschalibus, & mirtis, & lauro, & lampadibus circa ipsum.

*In Festo SS. Philippi, & Iacobi.*

IN Festo *Sanctorum Philippi*, *&* *Iacobi* pulsamus in Vesperis, Vigilia, & Mattutino quatuor vicibus sicut in summis Festis, & dicimus Vesperas, Vigiliam, & Mattutinum in Ecclesia Sancti Iohannis Baptiste. In mane vero post dictam Missam Populi in Sancto Iohanne Baptista statim, & immediate dicimus aliam Missam ad Altare Sancti Marci, ibi enim habentur Reliquie ipsorum Apostolorum. Circa finem istius Misse pulsentur omnia signa ad predicationem Episcopi, si est in Civitate, vel si non est, fiat per aliquem Canonicorum, tamen ante predicationem apportetur Brachium (1) Sancti

(1) D. Philippi Brachium, ut habetur in Martyrolog. Flor. Hierosolyma Florentiam translatum est VI. Non. Martii An. Dom. Incarn. 1204. In Archio Aedituum S. Mariae Floridae extat hujus translationis autographa descriptio; inter quae habetur. *Venit* (Prior S. Sepulchri) *Florentiam secum deferens Brachium Reverendum* (S. Philippi Apostoli), *& introitu Civitatis occurrerunt ei Iohannes quondam Ecclesie S. Fridiani Lucensis Prior, nunc Florentinus Electus*

cti Philipp. Apostoli , quod Deo gratias habemus, per Episcopum, si fieri potest, vel per aliquem Canonicorum, indutum , sive ornatum honestis indumentis, sotiandum digna, & honesta cohorte, Cruce , & cereo precedentibus semper. Facta vero predicatione Sanctissimum illud Brachium Populo ostendatur , & cum ipso ad nostrarum protectionem animarum Populus undequaque consignetur ( *si segni* ), postmodum vero recondatur in Cassetta, qua prius erat, deinde dicatur Tertia, & interim preparetur Episcopus, vel alius Sacerdos, si Episcopus non adest, cum Diacono, & Subdiacono, quibus preparatis, & dicta Tertia , Cruce precedente , & ad ultimum Episcopo cum Diacono inter utrumque posito , & in ulnis suis pretiosum illud Brachium deferente , adstanti-



---

*etus* ( idest Iohannes Veliternus ) *cum toto Clero , & illustris Comes Rodulfus eo tempore Florentinorum Poteſtas cum multitudine virorum , ac mulierum clamantium , & dicentium : Benedictus Dominus Deus noster, qui Civitatem nostram voluit Apostoli Philippi meritis decorare . Occurrebant etiam Iuvenes, & Virgines , Senes cum Iunioribus votivas , & celebres laudes Altissimo referentes , qui civitatem Flor. fecit tanti Patroni meritis reflorere . Electus namque Ven. Brachium in ulnas recipiens ipsum ab ingressu civitatis usque ad Templum Ioannis Baptiste , ac Precursoris Domini cum summa devotione , & inibi ingenti celebritate locavit , unde gaudet Eccleſia , exultat Clerus, Monachorum ordo letatur, Deo dedicate Virgines ante Sponsi Celestis presentiam gratulantur, tripudiat militia , cunctus Populus jocundatur , & ex ore infantium , & lactentium laus perficitur , quod Philippus advenit , cujus presentia, & patrocinio Civitas redditur gloriosa &c.*

bus Cereis, procedimus de Ecclesia Sancte Reparate in Ecclesiam Sancti Iohannis, ibique majorem Missam dicimus, ad finem vero Misse iterum ostenditur Populo Brachium Sanctum, similiter & in sero dictis Vesperis, & aliquando etiam predicatur. Notandum etiam, quod secundum antiquum usum semper quando afferimus, & quando reportamus Brachium, debent producte pulsari omnes campane.

Pro *Inventione Sancte Crucis* tribus vicibus quattuor campanas, & utrumque Vesperum ad Altare Sancti Iohannis Evangeliste, & procedimus cum Antiphona ad *Benedictus*, & Missam in Tertia ibidem dicimus. Pro Sancto *Iohanne ante Portam Latinam* tribus vicibus quattuor campanas, & utrumque Vesprum, & procedimus cum Antiphona ad *Benedictus*, & Missam in Tertia ad ejus Altare dicimus, Lampades etiam reaptentur coram ipso. Pro *Victoria Sancti Michaelis* (1) tribus vicibus quattuor campanas.

(1) Inter Ecclesias S. Michaeli Florentiae dicatas, est illa recensenda, quae sita erat in loco, qui dicebatur *Pojum*, seu *Podium*, quam, cum circa dimidium Soeculi XI. vetustate labefactata esset, Populus Flor. magnificentiorem refecit, auxit, ornavit; quamque Nicolaus II. Pont. Max., ut ex ejusdem Bulla a Lamio in *Ephemeridibus Flor.* anni 1756. Num. 21. constat, ab Episcopo Perusino, et Rosellano, dedicandam curavit, et fundis, et redditibus locupletavit, et Episcopo Flor. obnoxiam esse voluit. In ea Canonicorum Collegium fuisse videtur, et Paroeciam habuisse, quae forte deinceps, rerum casibus ita ferentibus, in Paroeciam S. Luciae, quae a proxima hac Basilica, cui et Titulum S. Eusebii adiunctum

panas. Pro Sanctis *Gordia*, & *Epimaco* duas squillas producte simul. Pro Sancto *Pancratio* duabus

---

ctum erat, *ad S. Eusebium* dicebatur, et deinde *Omnium Sanctorum* appellata est, atque in praesens *super Pratum* a vicino Prato, quod ibi patet, vocatur, aliamve, transierit. Nam Basilica ista, licet extra moenia Vrbis existeret, prope tamen Florentiam erat, et ad eam Populus Flor. confluebat; et cum in *Podio* diceretur, ubi nunc Ecclesia S. Luciae adsurgit, *Podium* nuncupabatur, seu *Collis Piscariae*. Indicio quoque est illam Basilicam Ecclesiae S. Luciae proximam fuisse, quod ab ea Ecclesia haec, *S. Lucia ad S. Eusebium*, vel *de S. Eusebio*, denominata sit, et Nosocomium pariter Leprosorum, quod sub Titulo S. Iacobi, ubi nunc S. Annae Parthenon habetur, extabat, Nosocomium *S. Iacobi ad S. Eusebium*, vel *de S. Eusebio*, eadem de causa appellabatur. Nec una tantum haec erat Florentiae Ecclesia S. Michaeli Sacra; erant aliae, nempe Ecclesia S. *Michaelis in Horto*, de qua forsan alibi plura, Ecclesia S. *Michaelis Bertelde*, et S. *Michaelis in Palchetto*, quae amplius non extat. Harum prima antiquitus Collegium Canonicorum habuit, et Monasterio Nonantulae erat obnoxia. Cum Monasterium in Monte Regis in arce recens facta Soeculo XVI. inclusum fuisset, Monachi Congregationis Olivetanae, qui illud habebant, hanc Ecclesiam obtinuerunt, et in istam migrarunt anno 1553.. Ast eodem Soeculo, cum Clerici Regulares Theatini Ecclesiam istam sibi concedi petiissent, eam obtinuerunt; et Monachis Olivetanis, eorumque Monasterio S. Bartolomaei *de Castaneo* prope Florentiam, compensationis gratia adnexa fuit Ecclesia S. Apollinaris Florentiae. Altera nempe S. Michaelis in *Palchetto*, quam Gottifredus Episc. Flor. Parthenoni S. Ambrosii Florentiae donavit, ut videre est apud Ughellium, antiquitus Paroeciam habuit, et fuit una ex XXXVI. Paroeciis civitatis Flor., quae a Leone X. an. 1517. adnexa fuit Congregationi Visitatio-

bus vicibus quatuor campanas simul producte, & utrumque Vesprum ad Altare Beate Reparate, & facimus, sicut supra notatum est in Festo Sancti Andree.

### *In Festo Sancti Zenobii.*

In Fecto Sancti *Zenobii* (1) pulsamus Vesperas, Vigiliam, & Mattutinum quatuor vicibus, sicut

---

tationis Deiparae, et S. Elisabethae. Cur haec in *Palchetto* diceretur, ignoratur. S. Michaelis *Tubarum* etiam appellabatur, quod Tubicines Comunis Flor. Senatus Consulto an. 1361., in Paroecia hac habitare deberent].

(1) Sanctum hunc Episcopum magno cultu a Florentinis prosecutum, et in nostrae Vrbis, Territorii, et Episcopatus Patronum fuisse adscitum constat ex monumentis Soeculi XI. Ejus festiva Solemnitas an. 1072, 1084, 1160, 1280, et 1284. occurrit, et antea offenditur apud Laurentium Amalphitanum, et cum Octava celebrata, ut videre est apud Brocchium *T. I. Vit. Sanctor. Flor.* At paucas suo Nomini sacras, tam Florentiae, quam Dioecesi nostra reperiisse Ecclesias dicere compellor; idest unam *Petrae Morae*, seu *Maurae* in Plebatu S. Iohannis Baptistae Burdiniani in Apennino, quod Castrum Petrae Morae ad Ubaldinios olim pertinuit, alteram in Pago suburbano, qui *Paradisus* dicitur, et in Plebatu S. Petri in Ripulis, tertiam vero Casiniani, de qua fabulantur, qui ab ipso S. Zenobio, dum viveret, conditam fuisse tradunt, et quidem ligneam, atque in ea tres suos discipulos constituisse, Clarum, Silvestrum, et Florentium. Florentiae vero Sacellum, quod Ecclesiae principi proximum est, et in quo Sodalitium quoddam piorum virorum coibat. Subspicari vero potest Sacellum, aut saltem Aediculam aliam olim fuisse, quae viae S. Zenobii nomen dederit, quae via in Paroecia S. Laurentii est, et pomoerio urbis inter-

cut in summis Festis. Ecclesia mundetur per totum, Lampades abluantur, & ornentur ubique in Ecclesia precipue subtus voltas (1), & in Vesperis vero, Vigilia, & Missa omnes Clerici de civitate debent interesse, totam officium diurnum silicet, & nocturnum ante ipsius Altare hodie, & per totam Octavam facimus. In mane vero post dictam Missam Populi pulsentur omnes campane ad predicationem Episcopalem, vel alterius, si non adest Episcopus. Facta predicatione convenimus omnes in Ecclesia Sancti Iohannis, ibique dicimus Tertiam, interim preparatur Episcopus cum suis Ministris, quibus preparatis Cruce precedente, & Cereis ad ultimum coram Episcopo ordinatis procedimus de Ecclesia Sancte Reparate, ubi requiesscit Corpus Beatissimi Patris nostri Zenobii, ibique Missam dicimus cantantes in Processione

interno ferme confinis; nam loca, quae a Sancto aliquo nomen sumunt, illud sibi vindicare non potuerunt, nisi a proximo aliquo Templo, aut Sacello.

(1) Ex his verbis, quae olim esset vetustae Ecclesiae structura manifeste dignoscitur, nempe Chorus, seu Presbiterium superius, ubi Altare S. Reparatae, inferiusque Confessio, in quo Corpus S. Zenobii situm erat, et quod ita fuerit, ex quodam eruitur instrumento ann. 1286. a Lamio T. I. *Mem. Eccl. Flor.* pag. 1710. edito, in quo dicitur quod Iacobus Episcopus Flor. *dum fuit in Ecclesia S. Reparate, ivit primo ad Altare S. Zenobii, & ibidem oravit, & postquam oravit, adscendit Chorum superius*: et paulo inferius: *& dum descendisset de Choro superiori in Ecclesia S. Reparate ad pedem scalarum de marmore portaverunt eum Vicedomini ad Altare Beati Iohannis*.

ne Responsorium, iam non dicam de Apostolis silicet, quia ipse fuit noster Apostolus (1). Previ

---

(1) Si hoc loco pro *Apostoli* nomine libelli hujus auctor primum apud Florentinos Christianae Legis promulgatorem dicere voluit, longe aberrat, cum jam a pluribus annis Evangelii lucem Vrbem Florentiam laetanter adspexisse constet, quamquam, qui fuerint Praecones, adhuc in abdito sit. Iohan. Villanius Flor. Historiae scriptor illustris Lib. I. Cap. 58. Frontinum Apostolum fuisse adfirmat; ast cum nullis certis antiquitatis monumentis ejus assertio fulciatur, quanti sit facienda, neminem latet. Vincentius Borghinius ubi de Ecclesia Flor., deque ejus Episcopis agit, prudenter observat: „ non ci esser memoria di alcuno, che sia il nome, il quale dicono alcuni essere stato de' Discepoli di S. Pietro Apostolo, e da lui specialmente ordinato primo nostro Vescovo, e mandatoci con un Paolino suo compagno a predicar la Fede di G. Cristo, regnando Nerone, nel medesimo tempo, che a Fiesole fu inviato S. Romolo, io non ritrovo cosa, che mi paja potere con sicuro fondamento affermare; non ci essendo, fuor di alcune poche parole in Gio. Villani, ne Scrittore, ne Autori, non che sicuri, e certi, ma che siano pur risoluti affatto del nome, ne vorrei in questo caso incorrere per troppa agevolezza in quell' errore, nel quale io veggo caduto un' altro, di mettere nell' Istorie cose accattate, e senza riscontro. „ Certum vero, indubitatumque est, antiquiorem Ecclesiae nostrae Episcopum fuisse quemdam nomine *Felicem* qui sub Melchiade Sum. Pont. interfuit Concilio contra Donatistas habito ann. 313. teste S. Optato Milevitano, qui inter alios, qui eidem interfuerunt, Episcopos, nostrum quoque enumerat, ut constat ex ejus verbis, quae leguntur T. IV. *Bibliotheca Patrum* Lib. I. pag. 145. *Cum consedissent Miltiades Episcopus Urbis Romae, & Retigius, & Maternus Episcopi Gallicani, & Merocles a Mediolano, Florianus a Cesena, Zoticus a Quintiano, Stemnius ab Arimino*, Felix a Florentia Tuscorum, et *Gaudentius a Pisis &c.*

videat Santensis, ut in die Vigilie Ecclesia, & precipue circa Altare ipsius, & ante voltas ornetur lauris, & mirtis affluenter. Infra Octavam pulsamus duas squillas producte simul. omni die. In Octava vero in Vesperis silicet Vigilie, & in Mattutinis tribus vicibus quatuor campanas, nam in Vesperis diei Octave, sicut in Dominica. Pro Sancto *Proculo*.

Pro Sanctis *Gervasio*, *&* *Protasio* (1) sicut in Dominica. Pro Sancto *Alexandro* Fesulano duas squillas propter proximam vicinitatem (2). Pro Sancto *Barnaba*, sicut in summis Festis. Pro Sanctis *Vito*, *&* *Modesto* duas squillas. Pro *Translatione Sancti Bartholomei* sicut in Dominica.

*In Nativitate B. Iohannis Baptiste.*

In Festo *Nativitatis Beati Iohannis Baptiste* omnia fiant, sicut superius designatum est in Festo Sanctorum Philippi, & Iacobi de pulsandis campanis in Vesperis, Vigilia, & Mattutino, & predicatione, & processione. De Missis dicimus sic quod in mane dicimus duas Missas, unam post aliam; Ad primam dicimus Officium *Iustus ut Palma*; ad secundam Officium *de*

*Ventre*

---

(1) *S.* Ambrosium misisse S. Zenobio Episcopo nostro nonnulla SS. Gervasii, et Protasii Martyrum Lipsana, sicut aliis miserat, nempe S. Gaudentio, S. Paulino, et S. Martino, nonnulli adfirmant.

(1) De S. Alexandro Fesularum Episcopo, qui sexto Soeculo floruit, commentarium scripserunt Hagiographi Antuerpienses T. I. *Iunii* pag. 749.

*Ventre*, post istas duas Missas statim dicimus aliam Missam ad Altare Sancti Mathei, ubi sunt etiam Reliquie ipsius. Postmodum vero pulsamus ad predicationem, deinde ad majorem Missam, & preparatis Episcopo (1) cum suis Ministris procedimus de Ecclesia Sancte Reparate in Ecclesiam Sancti Iohannis Baptiste. Infra Octavam cotidie duas squillas, & in Octava tribus vicibus quattuor campanas, in Vesperis silicet ante octavam, & in Mattutinis Octave.

Pro Festo *Apostolorum Petri*, *& Pauli*, sicut in Dominica, & facimus Processionem ad Sanctum Petrum Majorem, & alia sicut designatum est superius in Festo Sancti Andree, & in Vigilia, & in die. In sequenti die pro *Commemoratione Sancti Pauli* pulsamus sicut in Dominica. Infra Octavam cotidie duas squillas, & in Octava, sicut in Dominica. Pro Sancto *Romulo* (1) sicut in Dominica. Pro Sanctis

---

(1) In *Regesto* Episcopatus Flor. an. 1251. habetur, quod *Vicedomini in istis diebus, videlicet, Natalis, Resurrectionis, & die Festivitatis B. Iohannis debent venire ad Episcopale Palatium, & sotiare Dom. Episcopum Flor. usque in Ecclesiam majorem, preter alia servitia, & debitas reverentias, que, & quas Dom. Episcopo, & Episcopatui ratione juramenti vicedominatus, custodie, defensionis, & fidelitatis prestare, & facere tenentur, & debent.*

(2) S. Romulum Christianae veritatis Praeconem non tantum Fesulis, sed Florentiae fuisse, vel saltem propagatorem, verisimile est, et viri docti censuerunt. Ejus revera cultum apud nos maximum ex multis Ecclesiis in Dioecesi nostra tanto nomini dicatis, quae

ctis *Septem Fratribus* duas squillas. Pro Sanctis *Quirico*, & *Iulitta* duas squillas. Pro Sancto *Rofillo* (1) duas squillas. Pro Sancta *Margherita*, sicut in Dominica. Pro Sancta *Maria Magdalena*, sicut in Dominica. Pro Sancto *Apolenari*, sicut superius signatum est in Festo S. *Andree*. Pro Sancto *Iacobo Apostolo*, sicut in summis Festis. Pro Sanctis *Nazzario*, & *Celso*, sicut in Dominica. Pro Sanctis *Martyribus Abdon*, & *Semnen* tribus vicibus quattuor campanas. Pro Sancto *Petro ad Vincula* facimus, sicut superius signatum est in Festo Sancti Andree. Pro *Inventione Corporis Sancti Stephani*, sicut in Dominica. Pro *Sancto Sixto*, sicut in Dominica. Pro *Sancto Donato* (2) sicut in Dominica. Pro

H Sancto

---

quae sunt Ecclesia S. Romuli Florentiae, S. Romuli in Monte Crucis, S Romuli ad Leccium, S. Romuli Biviliani, S. Romuli Campestris, S. Romuli Colonatae, S. Romuli Tiniani, S. Romuli Bopsi, S. Romuli Septimi, S. Romuli Villae Magnae, semper fuisse, satis superque constat. Ast non solum Florentia, Fesulae, et Pistorium hunc Christi Praeconem sibi vindicat, verum etiam Bergomum, et Brixia, Nepe, et Sutrium.

(1) Prope Episcopium erat Ecclesia S. Ruffilli, cujus memoria usque ab anno 1077 reperitur. Paroeciam habuit, amplioremque reddidit Eugenius IV. ann. 1441., cum Ecclesiae S. Salvatoris Paroeciam abstulit.

(2) Caput B. Donati Episcopi, et Mart. Patroni, et Defensoris Civitatis Arretii ann. 1384. furtim raptum, Flor. Resp., ut Arretinis restitueretur, conata est, ut est videre ex sequenti Epistola iisdem directa

*Carissimis nostris Aretinis*
*Priores Artium, & Vexillifer Iustitie Populi,*
*Et Comunis Florentie*

Non est passa illa Dei infinita bonitas, que civitatem

Sancto *Laurentio* tribus vicibus quattuor campanas, & Missam, & Processionem cum Antiphona ad *Benedictus*, & utrumque Vesperum ad Altare Sancti Luce, & mirtum, & lauri apponantur circa.

Pro *Assumptione Sancte Marie* pulsamus quattuor vicibus, sicut in summis Festis, & paretur ejus Altare, Missaque in Tertia ibidem dicatur, mirtus, sive laurus ponatur circa ipsum; et

---

tem vestram per manus Populi Flor. quasi ab Inferis in statum pacis, et durature concordie revocavit, vos carere Pontificis vestri Reliquiis, nec Caput illius pretiosissimi Martyris voluit a suo quodam populo separari, sed quasi divino preservatum miraculo. Cum unus de congerie Gallicorum ausu sacrilego Caput istud ob argentea ornamenta lucri gratia rapuisset, et demum apud Forum Livii vendere procuraret, Dom. Sinibaldus de Ordelaffis, qui ibi dominium retinebat, ne Italici Martyris Caput in Galliam portaret, Sacras Reliquias emit, et paulo post raptorem illum sacrilegum ad Tribunal raptum, duxit suspendio puniendum. Nunc autem a nepotibus habito Ven. Capite supradicto, mittimus ipsum Arretium ad vestri populi consolationem, ut in locum pristinum reponatur. Accipite ergo dilectissimi istud munus S. Capitis Mart. B. Donati Presulis vestri, et in ejusdem Mart. reverentia persolvite vota, ut suis meritis conquassata tot cladibus vestra civitas sub protectione nostri regiminis in statum pristinum reflorescat. Datum Florentie die 13. Aprilis Ind. IX. an. 1386. Haec S. Donati Lipsana Florentiae in Ecclesia S. Mariae Floridae prope Caput Sancti Zenobii duobus mensibus cum dimidio recondita fuerunt. Haec Epistola habetur in *Regesto* Epistolarum anni 1386, pag. 170. existente Florentiae in Magistratu vulgo dicto *delle Tratte*.

& procedimus cum *Te Deum*, & Antiphona ad *Magnificat*. Infra Octavam duas squillas omni die, & in Octava simul. Pro Sancto *Bartholommeo*, pro Sancto *Augustino* tribus vicibus quattuor campanas. Pro *Decollatione Sancti Iohannis Baptiste* pulsamus Vesperas, & Mattutinum quattuor vicibus, sicut in summis Festis, totumque facimus Officium die, noctuque in Ecclesia Sancti Iohannis, & post Missam Populi dictam in Sancto Iohanne, statim, & immediate dicimus aliam Missam ad Altare Sancti Mathei. Circa mediam Tertiam pulsato ad majorem Missam, procedimus de Ecclesia Sancte Reparate in Ecclasiam Sancti Iohannis Cruce, & cereis precedentibus ad Missam canendam. Pro Sancto *Antonino* tribus vicibus quattuor campanas, & procedimus cum Antiphona ad *Benedictus* ad Altare Sancti Luce, in quo sunt Reliquie, ibique Missam in Tertia dicimus. Pro *Nativitate Sancte Marie* facimus, sicut in ejus Assumptione. Pro *Exaltatione Sancte Crucis* tribus vicibus quattuor campanas, in qua ipsa die est Consecratio Altaris Sancti Thome Martyris, dicimus Missam Populi ad ejus Altare, post illam de Sancto Iohanne. Missam vero in Tertia ad Altare Sancti Iohannis Evangeliste, & procedimus ad ipsa Altaria cum Antiphona ad *Magnificat*, & ad *Benedictus*. Pro Sancto *Matheo Apostolo* facimus, sicut supra signatum est in Festo Sancti Zenobii, per singula, lampades tamen, & mirtus, & laurus circa suum Altare aptentur, totumque Officium ibidem fiat die, noctuque, vigiliam etiam facimus semper in isto Festo. Pro Sancto *Mauritio*,

*tio*, & *Sociis* ejus duas squillas. Pro Sanctis *Cosma*, & *Damiano*, sicut in Dominica. Pro *Dedicatione S. Michaelis* tribus vicibus quattuor campanas. Pro Sancto *Ieronymo* duas squillas. Pro Sancto *Remigio* duas squillas. Pro Sancto *Francisco* duas squillas.

In Festo Sancte *Reparate* (1) facimus per singula, sicut supra signatum est in Festo Sancti

---

(1) Cum Badagasus Gothorum Rex cum ducentorum, seu quadringentorum millium militum copiis in Montibus Fesulanis castramentatus esset, ut Fesulas, et Florentiam obsideret, a Stilicone Romani exercitus duce est devictus, ideoque Florentia liberata est, ut S. Ambrosius Decenti Florentino Civi, in cujus domo, cum Florentiae esset, manebat, die precedenti in somniis adparens praedixerat. Summo enim Florentinos B. Ambrosius amore prosequebatur, iisque discedens ad eos se reversurum, et saepe invisurum, pollicitus fuerat; quod cum vivens praestare non potuisset, post obitum pluries, ut narrat Paulinus ejusdem Sancti Diaconus, ante Altare, quod in Basilica Ambrosiana dedicaverat, orans Florentiae visus est. Haec sunt verba Paulini: *quia promiserat petentibus illis eos se saepius visitaturum, frequenter ad Altare, quod est in Basilica Ambrosiana, quae ibidem ab ipso S. Viro Sacerdote Zenobio referente didicimus. In eadem etiam domo, qua declinans Eugenium mansit, tempore quo Radagasius supradictam Civitatem obsidebat, cum jam de se penitus desperassent viri Civitatis ipsius, per visum cuidam apparuit, & promisit alio die saltem illis adfuturum. Quo referente Civium animi sunt erecti, nam altero die adveniente Stilicone tunc Comite cum exercitu facta est de hostibus victoria.* Liberata est Civitas die natali S. Reparatae Virginis, et Mart. VIII. Idus Octobris. Hinc paulo post Florentini, Ecclesiam S. Reparatae titulo insignem tunc prope Florentiam in

cti Zenobii, & precipue ornentur Altaria, lampades, & Chorum desuper voltas per totum, & mirtus, & laurus undique apponantur (1). Infra Octavam, & in Octava fiat, sicut pro Sancto Zenobio. Pro Sancto *Calixto* duas squillas. Pro Sancto *Luca*, sicut pro Sancto Zenobio, excepto, quod dicimus Vigiliam, totum tamen Officium facimus apud suum Altare, Nocturno, & Lectionibus exceptis; quod etiam facimus pro Sancto Iohanne Evangelista, Processionem tamen facimus cum *Te Deum*. Pro Sancto *Illarione* duas squillas. Pro *undecim millibus*

---

in Campo Martio, ad sinistram Munionis fluminis ripam, extructam dicarunt, quae Ecclesia matrix fuit, et est. Magna hinc fama, et veneratio S. Reparatae in Tuscia crevit, quare Pisis, et Lucae etiam, antiquissima Templa ejus honori excitata fuere. Immo, et in Pede Montis Mucellanae Provinciae Pago Plebes pervetusta extat, quae S. Reparatae nomine censetur. Quando Ecclesia haec nostra a' fundamentis sit erecta, prorsus ignoratur: Anversae Patres in Vita S. Zenobii pag. 30. ajunt: *Auctorem novae Fabricae forsan Episcopum* Reparatum, *qui anno DCLXXIX. interfuit Concilio sub Agathone Papa.*

(1) In Archio Metropolitanae Flor. habetur instrumentum an. 1220. confectum, in quo decernitur, *ut quolibet anno die post Festum S. Reparate solemniter, & cum pulsatione campanarum per totam civitatem, & cum provisione cibi 13. pauperibus a Camerariis vestimentorum facienda, celebrentur exequie pro defunctis Episcopis, & Canonicis, qui benefecerunt huic Ecclesie, aut in posterum benefacient, & pro omnibus aliis hujus domus benefactoribus, & precipue pro Episcopo Specioso, qui possessiones de Cintorio huic Ecclesie dicitur contulisse, & cura precipue immineat Camerariis vestimentorum, quod hec faciant, & alia que ad hec viderint expedire, communibus expensis singulorum.*

*libus Virginum*, sicut in Dominico, & cantamus propriam eorum ystoriam. Pro Sancto *Donato Scotto* duas squillas. Pro Sancto *Crisco* (1) duas squillas. Pro Sancto *Miniato* (2) tribus vici-

(1) S. Crescii Flor., de quo mentio fit in aliquibus pervetustis Martyrologiis, tum in aliis codicibus in celeberrimis Florentiae Cartophilaciis perlitescentibus, Io. Villanius, Petrus Boninsegnius, aliique, Martyrium recensent anno Christi 252; et Minius, qui anno 254., atque etiam Usuardi, aliorumque Martyrologia, quae illud ponunt anno 248., at isti sunt corrigendi juxta probatissimam Iacobi Laderchii sententiam pag. 5. *Actorum S. Crescii*, ubi solidis fundamentis statuit initium Imperii Decii, et ejusdem Martyris obitum anno 249. sub Aemiliani, et Aquilini Consulatu. Ejus Lipsana sunt in Ecclesia *Vallis Cavae* nunc Florentinae, olim Fesulanae Dioecesis, quae sita est in media montis Appendice, eique Mons Iovii imminet, distatque a Fano Laurentii Meridiem versus III. M. P. De hac, locisque ad eam, et Vallis Cavae Territorio, spectantibus, plura sunt commentati Ioseph Maria Brocchius in *Descriptione Mucilli*, Marcus Antonius in *Historia S. Crescii*, et Ant. Franc. Felicius in *Appendice* ad ejus acta. Hujus Ecclesiae S. Crescii *de Valcava* mentio offenditur usque ab anno DCCCCXLI., quo Adonaldus, Tassimannus, et Atropaldus Episcopo Flor. quaedam bona *in Plebe S. Crisci* sita elargiuntur. Alterius Ecclesiae S. Crescii *in Campis* memoria habetur antiquior in quodam Instrum. an. 866. confecto, in quo eamdem Presb. Donnizianus filius Octonis Romanae Ecclesiae concedit.

(2) Probabilius in *Monte Regis* prope Florentiam Martyrio coronatus est, licet anno 250, an insequenti, ignoremus. Florentiae in ejus pervigilio jejunabatur, ut in Kalendario perantiqui Missalis, quod extabat in Tabulario Aedituorum S. Mariae Floridae scripto IX., vel X. soeculo, habetur. Ast in ora paginae

cibus, et in tertia vice omnes campanas, & Missam Populi, & majorem, & utrumque Vesperum, & Processionem cum *Te Deum* ad Altare Sancti Zenobii, & lampades aptentur circa ipsum. Pro Sancto *Simone*, *&* *Iuda* pulsamus, & facimus Officium ad Altare Sancti Mathei, ibi enim sunt Reliquie ipsorum.

In Vigilia *Omnium Sanctorum* dictis Mattutinis, statim incipimus, & dicimus Officium pro Defunctis, & incipiatur Solemniter Invitatorium a Canonicis, & Psalmus *Venite*, & compleatur ab ipsis, Lectiones etiam, & nonum Respon-

---

ginae, posteriori manu Soeculo XII., vel XIII. scriptum est, quod in S. Mineatis Vigilia jejunatur. Pervetustus in Etruria ejus Cultus est, ut Templa illius honori excitata testantur, quorum quaedam antiquissima extant, inter quae illud in *Monte Regis*, seu *Florentino* extra Florentiae moenia situm, cujus memoriam indubiam usque a Caroli Magni aetate repetendam esse, Scriptores gravissimi Vinc. Borghinius, Carolus Strozzius, aliique quamplures, diplomata adlegantes, litterarum monumentis consignarunt. Haec autem Basilica ineunte XIII. Soeculo restaurata fuit ab Ildebrando Episcopo Flor., cuius rei certa extant, et indubia documenta apud Borghinium eumdem, Ughellium, aliosque. Haec valde magnifica est, musivis picturis, marmoreis columnis, Choro marmoreo, undique moeniis elegantissimis, miroque opere extructis cincto, cum Ambone ornatissimo, marmoreis ibidem Columnis subfulto, et coelaturis undique exculpto. Frons Templi cum gradibus splendida, et magnifica est; pavimentum miro opere tessellato stratum: tota autem Basilica insignibus ubique monumentis adeo referta est, ac celebris, ut luculenta historia nuper illustraverim in opere, cui titulus: ***Notizie Istoriche dei Contorni di Firenze***. T. 5. pag. 31.

Responsorium *Libera me* ab eis dicatur, Antiphone quoque Laudum, & Antiphona ad *Benedictus* silicet: *Ego sum Resurrectio* solempniter ipsa die cantetur, quibus dictis, simul pulsentur omnes campane pro omnibus Defunctis tribus vicibus. Cum autem apparuerit Aurora dicatur Missa solempniter pro Defunctis (1) ad Altare Sancti Zenobii, cui debent interesse omnes Canonici.

### *In Festo Omnium Sanctorum.*

In Festo *Omnium Sanctorum* pulsantur in Vesperis, & Mattutinis omnes campane quattuor vicibus, sicut in summis Festis, & in mane tempestive dicitur Missa pro omnibus Defunctis cum Diacono, & Subdiacono, deinde Missa Populi immediate. Circa mediam Tertiam pulsentur omnes campane ad majorem Missam, & preparatis Sacerdote, & Ministris, dictaque Tertia, Cruce, & cereis precedentibus facimus Processionem in Ecclesia Sancte Reparate, & ibi majorem Missam dicimus. Notandum vero, quod in Vigilia cenamus ante Vesperas, si volumus. Pro Sanctis, *Vitali*, & *Agricola*, sicut in

---

(1) Unde Officium Omnium Fidelium Defunctorum hac Solemni die celebrandi Ecclesiae nostrae consuetudo originem trahxerit, omnino latet, nullumque aliud exemplum mihi videre adhuc obtigit, nisi in vita S. Iohannis Archiepiscopi Alexandrini, in qua narratur, quod quidam *faciebant tres Collectas per singulos annos, Sanctis Theophaniis, & Dominica Sancta, & Sancta Pentecoste pro anima &c.*

in Dominica (1). Item eadem die est Consecratio Altaris Sancte Reparate, pro qua pulsamus tribus vicibus quattuor campanas, quod Dominus Iohannes secundus (2) Episcopus Florentinus consecravit ipsum prima Dominica post dictum Festum Omnium Sanctorum, et instituit, ut semper prima Dominica post dictum Festum



---

(1) Non Corpora horum Sanctorum, ut Angelo Mariae Bandinio inculpabili memoriae lapsu T. 1. pag. 615. *Cat. Biblioth. Laur.* placuit, sed *Clavos*, *Sanguinem Triumphalem*, *et Crucis lignum*, ut ipsemet Divus Ambrosius his verbis testatur, deposuit Florentiae in Ecclesia S. Laurentii. Paulinus ejus Amanuensis ad rem nostram ait Cap. 14. *Invitatus* ( D. Ambrosius) *ad Thusciam usque descendit. In eadem Civitate* ( Florentia ) *Basilicam* ( S. Laurentii ) *constituit, in qua deposuit Reliquias Martyrum Vitalis, et Agricolae, quorum corpora in Bononiensi Civitate levaverat. Posita enim erant Corpora Martyrum inter Corpora Iudaeorum, nec erat cognitum Populo Christiano, nisi se Sancti Martyres revelarent. Quae cum deponerentur sub Altari, quod in eadem Basilica constitutum est, magna illic totius Plebis Sanctae laetitia, atque exultatio fuit etc.*

(2) Haec verba alterum Iohannem Episcopum Flor. omnibus usque adhuc ignotum, ut videtur, supponunt. Iohannes *Secundus*, de quo hic sermo habetur in Codice, est patria Veliternus, qui ab anno 1205. usque ad 1230. Flor. rexit Ecclesiam, ut eruitur ex inscriptione, quae Romae legitur in Ecclesia S. Mariae in Cosmedin a quodam Archipresbitero de Sanctis anno 1677. ibi apposita, quam cum Ughellius, et Cerracchinius amiserint, hic in medium profero.

*Memoriae*
*Ioannis de Sanctis Episcopi Florentini*
*Qui per Annos XXV. usque ad MCCXXX.*
*Suam Ecclesiam optime gubernavit.*

omnium Sanctorum celebretur ipsa Consecratio, & instituit Indulgentiam unius anni, & XL dierum.

*Consecratio Sancti Iohannis Baptiste*

PRO *Dedicatione Sancti Iohannis Baptiste* (1) pulsamus quattuor vicibus, sicut in summis So-

(1) Hanc Baptismalem Ecclesiam Sum. Pont. Nicolaus II., dum moram Florentiae trahebat, sacravit, quam Soeculo sexto, vel insequenti Florentini elegantem, gradibus surgentibus arduam, tholo concamerato sublimem, insignibus eversorum aedificiorum marmoribus aptatis operosam construxerunt ad Reginae Theodelindae imitationem, quae D. Iohannem Baptistam Regni Longobardorum Patronum pie, ac sapienter elegerat. Animum, ut credam Ecclesiam hanc, illud Martis Templum fuisse, ad Sacrum usum conversum, inducere nequeo; nam forma ipsa octagona, et universa architectura repugnare videtur; et aliunde scimus, antiquos Christifideles profana Deorum Templa evertisse quidem, non autem in Ecclesias Deo vero Sacras convertisse. Hanc opinionem ab omnibus nunc rejectam, ex eo ortam existimo, quod non procul a situ, ubi soeculo VI. condita est haec Basilica, Templum Martis extitisset, quod a Christianis dirutum fuerit. Et revera locus hic *Campus Martis*, vulgo *Camarti* appellabatur, in quibus campis mos erat ei Numini Templa aedificare. Discimus etiam ex pervetusto epigrammate, Florentiae Balneum Martis extitisse, quae quidem omnia Florentinos Ethnicos Martis cultores fuisse confirmant. Plura de hoc magnifico Templo typis mandarunt Strozius, Leopoldus *del Migliore*, Gorius, Lamius, Nellius, Mannius, Lumachius, Lastrius, quos inter quamprimum recensendus erit accuratissimus Vincentius Follinius Civis Flor. omnigenae philologiae praeditus, ut satis abunde declarant duo priora volumina nuper typis tradita operis inscripti: *Firenze antica, e moderna illustrata*.

Solempnitatibus, totumque Officium facimus in Sancto Iohanne in die, sicut in Ordinario est signatum. Pro Sanctis *quattuor Coronatis*, sicut in Dominica. Pro Sancto *Salvatore* tribus vicibus quattuor campanas, quia olim fuit Caput istius Ecclesie (1), & facimus Officium ad Altare Sancti Iohannis Evangeliste, sicut supra signatum est in Inventione Sancte Crucis.

Pro Sancto *Eugenio*, cujus Corpus in nostra Deo gratias requiescit Ecclesia pulsamus quattuor vicibus, sicut in summis Festis, & utrumque Vesperum, & Processionem cum *Te Deum* facimus ad Altare Sancti Luce, lampades, & mirtus, sive laurus aptentur circa ipsum, ibique dicimus Missam Populi, & majorem. Pro Sancto *Fridiano* (2), & pro Sancta Ceci-

(1) Ecclesiam S. Salvatoris fuisse primam Florentiae Cathedralem ex Actis apocriphis S. Zenobii Divo Simpliciano tributis error invaluit, et plures ex recentioribus Scriptoribus hac tantum fallaci, erroneaque fulti auctoritate prorsus reiicienda defendunt, et sibi invicem manum praebent. Vincentio Borghinio Scriptori celeberrimo, qui omnium primus hunc errorem abrasit, eliminavit, adhaerent Lamius, Mannius, aliique.

(2) Cum Sanctus Frigidianus Episcopus Lucensis, qui soeculo VI. jam vergente vivebat, multa veneratione S. Mineatem Martyrem Flor. prosequeretur, quotannis Florentiam adveniebat, ut ejus Basilicam in *Monte Regis* prope Civitatem sitam viseret, Martyrisque Lipsana coleret; ferturque in Arni aliquando tumentis transitu mira patravisse. Hac de re Cives Flor. ejus nomine insignem Ecclesiam erexerunt. Haec suburbio Civitatis, ubi erat, nomen dedit, eodemque nomine gaudet Porta Urbis, quae in suburbii fine patet.

Cecilia, sicut in Dominica. Pro Sancto *Clemente* tribus vicibus quattuor campanas, & utrumque Vesperum dicimus, & procedimus cum Antiphona ad *Benedictus* ad Altare Sancti Luce, & Missam in Tertia ibi dicimus. Pro Sancto *Iacobo Interciso* duas squillas, cujus Reliquias in Altare Sancte Reparate habemus. Pro Sancto *Eugenio Episcopo, & Confessore* duas squillas, cujus Corpus in nostra est Ecclesia, fuit enim Episcopus Florentinus (1).

Hec sunt Festa, in quibus tota Ecclesia debet mundari, & spazzari per Sanctensem, silicet pro Sancto Zenobio, pro Sancta Reparata, pro Nativitate Domini, & pro Paschate Resurrectionis; pro aliis vero Festis, sicuti est Festum Omnium Sanctorum, Pentecostes, & Ascen-

(1) De hoc Sancto ( Eugenio ) ita agitur, ut duo esse Sancti Eugenii existimentur; De uno, ut vidimus, fit mentio mense Novembri ante Festum S. Frigidiani; de altero hoc die. Verum quidem est in hoc Codice latino primigenio, lineam transversam ductam esse per verba illa, *cujus Corpus in nostra est Ecclesia, fuit enim Episcopus Florentinus*. Sed recentius id factum est; nam versio italica soeculo XIV. conscripta, ea servat illibata, et intacta. Nec error ullus inesse potest; nam scriptor huius Codicis duos hosce Sanctos Eugenios perspicue, et apertissime distinquit, cum diversam diem iis adsignando, tum diversos ritus, et ceremonias cuilibet praescribendo, et quidem in eadem pagina, et non post longum intervallum. Adde, quod Festum huius S. Episcopi occurrit inter dies 25 et 30. mensis Novembris, quo temporis spatio nullum S. Eugenium memorat Martyrologium Rom., quare nec hinc error oriri potuit. Si autem res ita habet, alter Episcopus Florentinus deprehensus e-

Ascensio Domini, & etiam quando alias indiget, mundentur Chori, & circa Altaria Ecclesie. Quando vero occurrit nobis aliquod speciale Festum, cujus Reliquias in nostris Altaribus habemus, & venerabilius honoramus, tunc mundetur, & spazzetur circa illud Altare, cujus Reliquias honoramus.

Infrascripti sunt dies, in quibus predicari debet per Canonicos, vel cui commiserint, silicet in die Sancti Zenobii, & Nativitate Beati Iohannis Baptiste, & die Decollationis ejus, & Sancti Mathei, Sancte Reparate, Sancti Luce, & Festo Omnium Sanctorum, & Levite Eugenii; & prima, & secunda, tertia, & quarta Dominica de Adventu, & in Nativitate Domini, Sancti Iohannis Evangeliste, & Sancti Thome Martyris, et die Epiphanie, Dominica Septuagesime (1), Dominica prima Quadragesime, die Resurrectionis, et secunda, tertia, et quarta Feria post diem Resurrectionis, die Sancti Marci, die Sanctorum Philippi, et Iacobi, tribus diebus Rogationum, in quibus Letanias facimus ante Ascensionem, et die Pentecostes, et in Annuntiatione Beate Marie Virginis.

Dies autem, in quibus Episcopus debet hic esse ad predicandum, & Missam canendum sunt hi dies; Sancti Zenobii, dies Pentecostes, dies

(1) Adhuc viget praedicandi consuetudo in maiori nostra Ecclesia hac die Septuagesimae, insuper et Sexagesimae, et Quinquagesimae, per eumdem subsequentis Quadragesimae Praeconem, quae consuetudo, cuius initium in abdito est, ab antiquo proficiscitur.

dies Nativitatis Beati Iohannis Baptiste, Sancti Luce, Dominica prima, (1) secunda, & tertia, & quarta de Adventu, dies Nativitatis Domini, dies Sancti Iohannis Evangeliste, Dominica Septuagesime, prima die Quadragesime, dies Cene Domini, dies Sancte Resurrectionis, & dies Sanctorum Philippi, & Iacobi; Item in Sabbatis quattuor Temporum, sive jejuniis debet hic

---

(1) In prima, alteraque Adventus Dominica, ut videre est in *Statuto Flor.* T. I. Lib. III. Cap. XL. pag. 258. Episcopus Flor. ad publice corrigenda, et evellenda Haereticorum falsa dogmata cogebatur. Haec sunt eiusdem Statuti verba. *Omnes haereticos cujuscumque haeresis diffidare, et exbannire debeant Rectores Civitatis Florentiae publice in Consilio, quando de exercendo offitium suum praestiterint juramentum. Et idem fiat in prima, et secunda Dominica de Adventu, quando Dom. Episcopus Civitatis Florentiae requisiverit eosdem in Canonicam Ecclesiae S. Reparatae intra Missarum solemnia. Et etiam semper prius, et postea teneantur ipsos nihilominus exbannitos habere, donec ad mandata Ecclesiae redierint. Et si dictus Episcopus aliquem de Haeresi suspectum Rectoribus denunciaverit, vel denunciari fecerit, haereticum ipsi Rectores, eum capi facere teneantur, et captum infra octo dies, postquam esset ab ipso Episcopo condemnatus, punire, nisi rediret, et redire voluerit ad mandatum Ecclesiae. Et quod domus Haereticorum, in qua Haeretici aliquo modo, vel ausu temerario stare, et se se congregare praesumpserint nullo reficiendi tempore funditus destruatur. Hoc idem de domibus illorum, qui manus impositionem receperint, ab Haereticis observetur. Et quod in secta credentium haereticis erroribus, postquam ipsi credentes fuerint per Ecclesiam denontiati, et condemnati, nisi mandato Ecclesiae redire voluerint, supradicta omnia observentur in eis, et eorum bonis. Et non audiantur modo aliquo, in aliquo eorum jure, nec quisquam eis in aliquo respondere teneatur.*

hic Episcopus celebrare ordinationes, & oblationes, quas tunc recipimus, per medium intra nos, & Episcopum debent dividi, & sortiri.

*Deo Gratias Amen.*

## HAE SUNT PROVISIONES

### QUAS RECIPIMUS ANNUATIM.

ANnuales provisiones (1), quas Canonici Florentini, sive Canonica recipere debet a quibusdam Ecclesiis infra Civitatem positis hic infra per ordinem distinguntur. In primis igitur.

Ab Ecclesia Sancti Pancratii, & in suo Festo (2) debentur Canonicis, sive Canonice ante-

(1) Quae sequntur usque ad Vicariorum Gen. Ecclesiae Flor. seriem extant in eodem Codice.

(2) Haec Ecclesia Canonicis Ecclesiae Flor. obnoxia erat; qua de re eisdem quotannis tributum solvere tenebatur, ut ex sequenti instrumento ann. 1244. in Cartophilacio Canonii Capitularis delitescente constat. *D. Ardengus Flor. Episcopus recepta querela D. Prepositi, et Capituli Flor. super eo, quod dicebat D. Abbatem S. Pancratii detinuisse eis Herbata septem, que dare debebat hodie, et in Festo S. Pancratii etc. ponit Ecclesiasticum Interdictum an.* 1244. *Id. Maii. Deinde Abbas confitetur se debere annuatim in Festo S. Pancratii dicto Preposito, et Capitulo Flor. duos Castrones, et septem Herbata, et quod anno preterito dedit pro predictis Solidos* 50. *Deinde dicte partes compromittunt in D. Episcopum etc. Dom. Episcopus statuit, quod singulis annis in Vigilia S. Pancratii, vel prius,*

antedicte duo Castrati, quam possunt per Canonicorum nuntium in Foro meliores, & potiores inveniri, & etiam quattuordecim silique ovorum, quattuordecim Casei virides, & congrui, & insuper XXVI. florini parvi, quos pro lardo, & herbis recipimus. Nos vero de nostra cella sex panes venales his, qui dictos Castratos, & dictas XIIII ovorum siliquas, & caseos, & denarios nobis afferunt, exhibemus.

Ab Ecclesia Sancti Apolenaris, & in suo Festo debetur Canonice unus Castratus bonus, (1) & congruus, nos vero illi, qui apportat unum panem venalem, & potum, si petierit.

Ab

---

*prius, dictus Abbas honorifice recipiat, et ad Vesperas, et mane ad Missam, et faciat eos canere in dicta Vigilia Vesperas, et mane Missam, in Vigilia de sero det potum Preposito, et Capitulo, et servientibus eorum, eisque mittat binos, et magnos Castrones, et* 14. *siliquas ovorum pro septem Herbatis, et* 20. *denarios pro Sapimine, et sex denarios pro Crustis, et* 14. *Caseos etc.*

(1) Si expatiari animus foret, multa in medium profferrem hujusmodi exempla, at satis sit pro multis insequens adducere ex Instrumento Archivi Diplomatici desumptum, quod ad Ecclesiam S. Martini vulgo *alla Palma* prope Florent. sitam pertinet: ,, In Dei nomine Amen. Millesimo ducentesimo septuagesimo septimo Ind. sexta die nono decimo mensis Octob. actum apud Eccles. S. Martini la Palma presentibus testibus Dom. Ubaldo Abbate Monasterii S. Salvatoris de Septimo Nonno (*sic*) Ruberto, Nonno Francesco, Nonno Bono, Nonno Guidone Monacis dicti Monasterii, et Fratre Bonajuto, et Fratre Petro Conversis dicti Monasterii, et Bindo quond. Chiariti, et Cenni Fil. Ducci, et Guidone Fil. Bernardi. Clareat omnibus evi-

Ab Ecclesia Sancte Felicitatis, & in suo Festo unum quartum bovis, & unum porci, & nos eis, qui afferunt, quattuor panes venales exhibemus.

K Ab

---

evidenter hanc paginam inspecturis, quod Presbiter Clarus Rector Ecclesie S. Martini la Palma predicti confessus fuit coram me Notario infrascripto, et testibus suprascriptis ex certa scientia, et non per errorem, quod ipse Presbiter Clarus eo tempore, quo stetit in dicta Ecclesia quolibet anno in die Nativitatis Domini Populus dicte Ecclesie bibit, et nihil aliud habet, quam miscent, comedunt panem tantum, et bibunt tantum, et debent esse sex tantum, et non plures. In die Resurrectionis Domini Populus habet pro benedictione duos agnos cottos soldorum decem plenos nonaginta sex ovorum, que si ova superessent extra agnos, debet fieri Turta, et dari Populo; dicta vero ova dantur a Populo Nunctio Sacerdotis dicte Ecclesie in die Parasceve. Post vesperas dicti diei Resurrectionis Populus bibit. Item in die S. Luce debet habere unusquisque de Populo, qui habet uxorem, unum panem unciarum vigintiocto de cotto, et pro dicto pane dat quilibet unum denarium, et si in domo non fuerit aliquis uxorem habens, datur nihilominus eodem modo panis Domine domus. Item si volunt comedere ipsa die, habent panem, et vinum, et pro quolibet pane quilibet dat denarium unum. Illi vero, qui cocunt, debent esse duo tantum, et habent duos panes, et vinum, et pro illis duobus panibus non datur denarius eisdem. Item in die Omnium Sanctorum populus bibit, qui vero miscent habent panem, et caseum. Item in die S. Marci debet Sacerdos S. Martini ire ad Plebem cum Populo, et ibi Missam cantare, vel alter pro eo rogatus ab eo, et predicare, et ad mensam juxta Plebanum sedere, et mediam Turtam, et unum caseum ipse solus debet habere. Clericus vero ejus debet Epistolam cantare, et inter Clericos primus debet

Ab Ecclesia Sancti Andree, & in suo Festo unum quartum porci ex anteriori parte cum medio

---

bet honorifice stare. Item in Letaniis Feria secunda ante Ascensionem debet venire Plebanus cum Plebatu ad S. Martinum, et ibi Missam cantare, vel alter pro eo, et etiam predicare, vel alter pro eo rogatus ab eo, et ipse Plebanus unam Turtam sedecim ovorum, et unius casei quatuor denariorum, et unum caseum cum minuto, ipse Plebanus solus debet habere. Et inter omnes alios Sacerdotes inter quatuor debet dividi una Turta triginta ovorum, et unius casei quatuor denariorum, et inter duos debet poni unus caseus cum minuto; et quilibet Sacerdos debet habere unum Clericum, et Plebanus duos, et non plures. Item Feria tertia debet ire Sacerdos S. Martini cum Plebano ad Abbatiam de Septimo, et ibidem ipse Sacerdos S. Martini cum Priore de Mosciano debet ibi permanere, et solus comedere. Item Feria quarta Sacerdos S. Martini debet ire cum Populo suo ad Plebem, et sicut ipse Sacerdos S. Martini facit Sacerdotibus, et Clericis Plebatus, sic ipse Sacerdos S. Martini cum Clerico suo debet recipere.

Ego Mazza Fil. quond. Fortis Imper. auctoritate Iudex Ord., et Not. predictis omnibus interfui, et rogatus scripsi.

Sciendum quod predicta Feria tertia Plebanus debet venire cum Priore de Mosciano, et Cappellano S. Martini, et cum Cappellanis suis ad S. Laurentium cum Letaniis. Et Plebanus debet predicare, et Missam cantare. Prior vero de Mosciano solummodo, et Cappellanus S. Martini cum Clericis suis debent comedere in Abbatia, et debent habere medietatem unius Turte de xx. ovis, et uno caseo. *Hanc consuetudinem pluribus Ecclesiis comunem prorsus abstulit, abrasit, eliminavit Franciscus de Silvestris Episcopus Flor. anno* 1327, *ut eruitur ex sequenti Constitutione in Archivo Diplomatico delitescente:* „ Quia plerisque locis nobis subiectis nonnulli tam mares, quam femine nostre Iurisditioni suppositi Rectoribus Ecclesiis-

medio capite elevatum, prout potest per Canonicorum Nuntium in foro melior inveniri, & nos debemus illi, qui apportat, unum venalem panem, & potum, si petierit, de spetiali gratia exhibere.

Ab Ecclesia Sancti Petri Majoris in Festo Sancte Agnetis debentur Canonice duo tortoclea de quattuor partibus caponum confecta. Nos autem eis, qui afferunt, quattuor venales panes, sed nichil aliud, exhibemus. In Festo Sancti Petri debentur septem spacule castratine intrinsecus ovis, & caseo plene, et ad ignem assate. Item XXIIII. Giuncate, nec non et quoddam Galathum non parvum plenum piris, susinis, mellonibus, et amiddalis. Nos vero tunc debemus eis, qui hec afferunt, sex venales panes

---

clesiarum in Festivitatibus Natalis, Resurrectionis Domini, et certis aliis diebus: pretextu quarumdam abusionum, que verius dicuntur corruptele, artocleas, seu Tortas, agnellos benedictos, panem, vinum, et nonnulla alia, et caleatas secundum temporis qualitatem non ex devotione, sed quadam indevotione, vel potius ingluvie exigunt, et extorquent; ac etiam in dictis Festivitatibus, et diebus Offitiales in Parocchiis constituunt qui panem, et vinum a Rectoribus Ecclesiarum recipiunt, exigunt, rapiunt, et consumunt non solum inter volentes recipere distribuendo, sed etiam panes canibus proiiciendo, et vinum, quod bibere non possunt, per terram fundendo, et etiam vasa ipsorum frangendo, ex quibus ebrietates insurgunt, fiunt rixe inter eos, de quibus multotiens homicidia, et mutilationes membrorum sequntur ec. ec. Unde volentes tante pesti, et abusibus obviare ec. monemus omnes sub excomunicationis pena, ne de cetero facere presumant ec.

nes, et bibere, si petierint, sive pro quolibet Galatho duos panes.

Infrascripti sunt dies, in quibus Servitiales Canonice debent habere asciolvare (1), sive prandere ab illis Ecclesiis, quas adimus, dies silicet Festi Sancti Pancratii, & in eadem Ecclesia Sancti Petri, dies Sancti Apolenaris ab eadem Ecclesia, dies Sancte Felicitatis, & ab eadem Ecclesia, dies Sancti Andree ab eadem Ecclesia, dies Sancte Agnetis apud Sanctum Petrum Majorem, & in secunda Feria post Pascha Resurrectionis apud Sanctum Petrum Majorem; In tertia Feria apud Sanctum Paulum, in quarta vero Feria apud Sanctum Laurentium.

In diebus vero Letaniarum nichil debent habere, sed debent Servitiales hic remanere ad pulsandum omnes campanas in ingressu, & regressu nostro. Sanctensis autem, quia venit nobiscum, et defert Crucem, debet habere ab illis Ecclesiis, in quibus requiescimus, & predicamus, denarios duodecim a singulis pro Cruce.

Item debet recipere Canonica Florentina in Pascha Resurrectionis; In primis a Plebe de Si-

gna

---

(1) Inde orta est vox *Asciolvere*, qua Scriptores nostri saepe saepius usi sunt. Donatus Velluti in Hist. Flor. ait: *Fatto questo*, asciolvea, e l' asciolvere *suo non era manco di due pani, e poi a desinare mangiava largamente*, „ Burchiellus 1. 66. *Muli sbiadati, e asin sagginati* asciolvon *menta*: Laurentuis Medices in quodam cantu: *Non si saziaron bene* a asciolvere; et alter ait: *quattro son l' ore determinate del mangiare usitato*, *cioè* dell' asciolvere, *del desinare*, *della merenda*, *e della cena*.

gna(1)centum Ova. Ab Ecclesia Sancti Bartholi de Cintoja centum Ova. Ab Ecclesia Sancte Lucie de Massa Pagana centum Ova. Ab Ecclesia Sancte Marie de Quinto centum Ova. A Domino Plebano de Duomo centum Ova. A laboratoribus de Mugnone XII. siliquas ovorum.

Item debet dare Canonice Florentine Ecclesia Sancti Bartholi de Cintoja in jejuniis quattuor Temporum, que occurrunt infra Septimanam Pentecosten, duos starios fabarum viridum pro olere, & duos starios frumenti de Mense Augusti; Et hec debet annuatim.

Item debet recipere Canonica Florentina in Festo Omnium Sanctorum; In primis a Plebe de Signa quattuor anseres bonas, & congruas. Ab Ecclesia de Lecore duas anseres. Ab Ecclesia Sancti Bartoli de Cintoja duas anseres. Ab Ecclesia Sancte Marie de Quinto duas anseres. A Davizzino de Campi duas anseres.

Item debentur Canonice Florentine in Festo Sancte Reparate de quibusdam terris positis in Populo Sancti Andree ad Colle de Valle Pese tres starii Salme ad rectum starium blade Comunis Flor., quam Salmam recepi ego Presbiter Salvi Cappellanus dicte Canonice, & pro ipsa Canonica a Gherardino Fil. Benivieni de predicto Populo S. Andree, & ab Arrigo Filio Regaldi de Castillione qui possident, & colunt dictam terram pro ipsa Canonica.

Item

---

(1) Vetustissimam hanc esse Plebem ex Instr. Raimbaldi Episc. Flor. eruitur, qui eam Canonicae Flor. elargitus est; quam donationem confirmavit Imper. Otto anno 930, et tertio ejus Imperii.

Item debentur Canonice Florentine ab Ecclesia Sancti Laurentii de Collina (1) Plebatus Sancte Marie Impetreta (2) de Mense Ianuarii annuatim duo Vrcei (3) olei pro luminaribus Ecclesie solum, & non ad aliud de quibusdam terris, quas habuit a dicta Canonica (4).

Item ab Ecclesia Sancte Mariae de Peretola unus Vrceus olei pro luminaribus Ecclesie pro quadam petia terre.

Al

---

(1) Haec una est de tot Ecclesiis Paroeciae S. Mariae *Imprunetae* a Sum. Pont. Niccolao II. Soeculo XI. subjectis.

(2) Sub hac voce intelligitur Templum celeberrimum S. Mariae vulgo *dell' Impruneta*, de quo sic cecinit Fr. Dominicus Iohannis Corella in suo eleganti Poemate; quod *Theotocon* appellatur:

*De quornm numero domus est spectabilis una*
*A Florentina non procul Vrbe sita.*
*Haec Pruneta suo vulgari nomine dicta*
*Virginis antiquam continet Effigiem*
*Quam super indomitos plaustrum vexisse juvencos*
*Incola tam Sancti fert pia turba loci*
*In quo Reginae colitur coelestis Imago*
*Maxima sub nostro tempore signa gerens.*

In vetustissimis chartophilaciis aliquando haec Ecclesia appellatur S. Maria in *Pinita*, *in Pineta*, *in Pieneta*, *in Pruneta*, *in Peneta*, *in Poneta*, *in Pianeta*, *in Pruneta*, *inter Pruneta*, *& in Prunetis*, ex quibus orta est vox, quae nunc viget, *Impruneta*.

(3) *Vrceus* apud nos erat quaedam mensura, ut eruitur ex pluribus instrumentis. In Codice celeberrimo, vulgo nuncupato, *il Bullettone*, habetur: 1078. *Sex Vrceos musti. An.* 1116. *tempore Vindemie septem Vrceos musti, & dimidium alterius Vrcei. An.* 1253. *unum Barile vini unius Vrcei. An.* 1289. *tres Vrceos musti, & An.* 1315. *Octo Vrceos vini.*

(4) Manu recentiori in hujus Codicis italica versione adposita est haec notula: *Questo solo paga ogni anno.*

# APPENDIX

Abs re non erit hic in medium seriem proferre Vicariorum Generalium Flor. Dioeceseos, quos in perlustrandis innumeris Archivi Diplomatici Chartophilaciis improbo labore congessi; qua efformanda eorum nomina, patriam, officia, & dignitates adamussim percensere curavi, prout in iisdem habetur instrumentis.

MAgister *Henricus* Vic. Dom. *Ardingi* Episc. Flor. 14 Kal. Dec. 1231.

*Marsoppinus* Vic. ejusdem 6 Id. Iun. 1241.

Magister *Accursius* Vic. D. *Iohannis de Mangiadoris* 4 Non. Febr. 1258, & 16 Kal., & 3 Kal. Sept. 1260.

Discretus Vir Dom. *Cambius* de Peretola Vic. ejusdem 6 Kal. Iulii 1266.

Sapiens, & discretus Vir. D. *Mattheus* de Ravenna Canonicus Foropopuliensis Vic. Dom. *Andree de Mozzis* 5 Kal. Apr. 1289, & Vic. Dom. *Lotterii de Tosa* 8 Id. Febr. 1306.

*Iohannes* Prior Ecclesiae S. Michaelis Bertelde Vic. Ecclesiae Florent. vacantis Prid. Id. Feb. 1276, & 14 Kal. Sept. 1282.

*Lambertus* Plebanus de Guarazzano Vic. ejusd. *Andree de Mozzis* 9 Kal. Iul. 1288, & Vic. *Francisci de Monaldeschis* 10 Kal. Iun. 1299.

Frater *Andreas* de Fabriano Prior Heremi S. Mar-

Marci de Monte Fano Vic. ejusdem D. *Francisci* 7 Kal. Iul. 1296.

*Ilderbandinus* Archidiaconus Urbevetanus Vic. ejusdem 7 Kal. Iul. 1296.

Fr. *Angelus* de Perusio Vic. ejusdem 4 Kal. Iul. 1300.

*Henricus* de Cremona Decretorum Doctor Vic. ejusdem 11 Kal. Iun. 1300, & Vic. D. *Lotterii de Tosa* Non. Maii 1302.

*Iohannes* Thesaurarius Vic. Capituli Eccl. Flor. vacantis Prid. Non. Iun. 1301.

*Puccius* D. Salvi Picchonis Vic., & Vicecomes, D. *Lotterii de Tosa* 4 Id. Nov. 1303.

*Parisius* Plebanus Plebis de Vallia Vic. Eccl. Flor. vacantis 3 Non. Dec. 1308, Vic. D. *Antonii Ursi* 15 Kal. Oct. 1320, Vic. D. *Francisci de Silvestris* Prid. Id. Apr. 1326.

*Iacobus* de Eugubio Vic. D. *Lotterii de Tosa* ...

*Barone* de S. Miniate Prior Canonice de Castronovo Vic. D. *Antonii Ursi* 5 Kal. Nov. 1309, & 6 Id. Oct. 1320, & Vic. D. *Francisci de Silvestris* 11 Kal. Dec. 1323, in quo instrumento vocatur Prior Ecclesie S. Martini de Castellione.

*Petrus* Dom. Iacobi de Eugubio Vic. D. *Lotterii* 4 Non. Sept. 1308, & Vic. D. *Antonii Ursi* 12 Kal. Oct. 1313.

*Bartholomeus* Can. Ferrarie Vic. D. *Antonii* 1314.

*Stephanus* Plebanus Plebis de Campoli D. Pape Cappellanus, Capituli Eccl. Flor. vacantis Vic. Gen. Prid. Kal. Oct. 1321.

*Henricus* de S. Elpidio Vic. D. *Francisci de Silvestris* 11 Kal. Dec. 1323, & 4 Non. Nov. 1328.

*Mat-*

*Mattheus* Abbas Monast. S. Laurentii de S. Severino Vic. ejusdem 3 Non. Iun. 1330, & 12 Kal. Iun. 1333.

*Cinus* Plebanus Plebis de Dicomano Vic. ejusdem 7 Id. Ian. 1334.

*Egidius de Monaldensibus* Rector Ecclesie S. Leonardi de Mevania Vic. ejusdem 12 Kal. Iul. 1336, & 8 Id. Aug. 1339.

*Laurentius* Plebanus Plebis de Perolla Vic. ejusdem 18 Kal. Ian. 1336.

*Vivianus* Plebanus Plebis de Asciano Vic. ejusdem super executione testamentorum, & ultimarum voluntatum specialiter deputatus Prid. Id. Apr. 1340.

Discretus vir D. *Petrus* Can. Eugubinus Vic. D. Fr. *Angeli de Accajolis* 6 Kal. Iun. 1346, & Prid. Non. Dec. 1347.

*Mattheus* Vic. ejusdem 15 Kal. Iun. 1346, & 7 Id. Maii 1349, in quo instrumento vocatur Matheus de Narnia Can. Ameliensis, & 8 Id. Dec. 1353. Prior Ecclesie S. Petri de Loreto, & 10 Kal. Nov. 1356 dicitur Plebanus Plebis S. Iohannis in Soana Vic. D. *Francisci*.

*Leonardus* Rector Ecclesie S. Marie Vgonis de Flor. Vic. D. Fr. *Angeli* 7 Id. Maii 1349, & 13 Kal. Mart. 1362, Vic. Dom. *Philippi*, in quo instrumento dicitur *Leonardus de Chasulis*.

*Mattheus* Abbas de Ripolis Vic. Dom. Fr. *Angeli* Non. Martii 1349.

*Franciscus* Prior Ecclesie SS. Apostolorum Vic. ejusdem 3 Id. Iulii 1351.

*Guidus Boncianius* Prior S. Stephani de Lucignano Vic. ejusdem 4 Kal. Mart. 1350, & 15 Kal. Iul. 1352.

*Andreas de Attis* Epis. Tudertinus Vic. ejusdem 1356.

Ven. Vir Dom. *Iohannes* de Pergamo Can. Tridentinus Vic. D. Philippi 15 Kal. Dec. 1357.

Ven. Vir Dom. *Iohannes de Albergottis* de Aretio Decretorum Doctor Vic. ejusdem 13 Kal. Martii 1362.

Ven. Vir Dom. *Iohannes* Vic. ejusdem 13 Kal. Martii 1362. Hic cum superiore differt.

*Iohannes* Prior Ecclesie S. Michaelis de Plano Radicis Aret. Diec. Vic. ejusdem Idib. Maii 1363.

Ven. Vir Dom. *Simon de Paganis* Archidiac. Regiensis, & Plebanus Plebis de Campolis Vic. D. *Petri de Corsinis* 10 Kal. Feb. 1363, & 4 Kal. Oct. 1367.

*Philippus de Gianfigliazzis* Plebanus Plebis S. Lazzari Vic. ejusdem 1363.

Ven. vir Dom. *Mattheus* de Civitate Castelli Archipr. Plebis S. Marie de Tiberina Vic. ejusdem 9 Kal. Aug. 1369.

*Ioannes* de Spoleto Canon. Iesinus Vic. ejusdem 7 Kal. Mart. 1369.

*Ioannes* Archipresb. Lucanus Vic. ejusdem Idib. Iulii 1369.

*Nereus de Corsinis* Vic. Ecclesie Flor. Sede vacante 15 Kal. Iulii 1370.

*Ioannes* de Caprilia Canon. Ecclesie S. Laurentii, & Vic. D. *Angeli de Ricasulis* 3 Id. Iulii 1370.

*Bartholus* de Poggiis Vic. ejusdem 1371.

*Egidius* de Fabiano Prid. Non. Iul. 1372. Vic. ejusdem.

*Vitalis* de Murro Canon. Sinigagliensis peritus in Decretis Vic. ejusdem 19 Kal. Sept. 1372.

*Anto-*

*Antonius del Prato* de Padua Vic. ejusdem 16 Kal. Apr. 1374.

Ven. vir D. *Nihcolaus* Prior S. Andree de Majano Spolit. Diec. Vic. ejusdem 5 Kal. Iun. 1375.

*Christofanus* quond. Guidi Plebanus Plebis S. Vincentii Vic. ejusdem 14 Kal. Apr. 1376.

*Bartholomeus* Plebanus Plebis S. Vincentii Diec. Flor. Vic. ejusdem 6 Id. Iulii 1377.

Ven. vir Dom. *Hieronymus* Prior S. Marie de Poppiensi Vic. ejusdem 7 Id. Octob. 1378.

Ven. vir Dom. *Petrus de Ciardis* Clericus Flor. Licentiatus in Decretis Vic. ejusdem super executione testamentorum, & restitutionum usurarum spetialiter deputatus Non. Martii 1383, & 14 Kal. Apr. 1385.

Ven. D. *Franciscus de Zabarellis* de Padua juris utriusque doctor Vic. ejusdem 13 Kal. Oct. 1386. & prid. Non. Apr. 1385.

Ven., & egregius Decretorum Doctor Dom. *Nicolaus* Can. Vrbinatis Vic. Dom. *Bartholomei* ( *de Vliaris* ) 15 Kal. Ian. 1389.

*Petrus de Ricciis* Can. Flor. quem ter Vicarium Capitularem Ecclesiae Flor. vacantis fuisse affirmat Salvinius apud Mannium *Sigillorum* T. IX. *pag.* 60, nempe annis 1389, 1395, & 1401; anno 1395, esse nequivit, quia tunc regebat Flor. Ecclesiam D. *Honuphrius*.

*Philippus de Cavalcantibus* Can. Flor. Vic. Dom. *Honufrii* Kal. Dec. 1391, & 4 Kal. Feb. 1393.

Ven. vir Dom. *Iacobus de Giscardis* de Arpino Can. Neapol. Decretorum Doctor Vic. ejusdem 5 Id. Dec. 1390.

Fr. *Antonius* de Montalto Ordinis Celestinorum Vic. ejusdem 12 Kal. Ian. 1392.

*Anto-*

*Antonius* Canon. Senensis Vic. ejusd. 12 Kal. Ian. 1392, & Non. Maii 1393.

Fra *Niccolaus de Bostolis* de Montalto Prior S. Petri de Murrone Ordinis Celestin. Decr. Doctor Vic. ejusdem 4 Non. Dec. 1395, & Vic. Dom. *Francisci de Zabarellis* 18 Kal. Feb. 1410, & Vic. D. *Americi de Corsinis* 15 Kal. Iun. 1413.

*Nicolaus* de Aretio Vic. ejusdem *Francisci* 10 Kal. Nov. 1397.

*Antonius* de Civitella Iuris utriusque doctor 10 Kal. Nov. 1397 Vic. ejusdem.

*Dinus* de Luca Vic. ejusdem 1398.

*Antonius Casinius* Can. Flor. Vic. Capitularis Eccl. Flor. vacantis juxta Mannium *Sigillorum* T: IX. pag. 60.

Ven. vir D. *Iacobus* de Camplo Clericus utriusque Iuris doctor Vic. D. *Iacobi de Teramo* 4 Id. Mart. 1404, & 12 Kal. Maii 1409.

Fr. *Laurentius* Ord. Humiliator. Decret. Doctor Vic. ejusdem Prid. Non. Iul. 1406, & 3 Non. Dec. 1406, in quo instrumento de S. Miniate esse dicitur.

Ven. vir Dom. *Marinus de Zabarellis* de Padua Vic. D. *Francisci* ( de Zabarallis ) 18 Kal. Feb. & 10 Kal Ian. 1410.

Ven. vir D. *Riccialbanus* Clericus Flor. Legum Doctor Vic. D. *Americi de Corsinis* 3 Non. Iul. 1415, & 12 Kal. Iun. 1418.

*Paulus* de Castro Vic. ejusdem 4 Non. Nov. 1415.

*Iulianus* Vic. ejusdem 4 Non. Nov. 1415.

*Thomas de Bordella* Decretorum Doctor Archipresbiter Perusinus Vic. ejusdem 13 Kal. Aug. 1423, & 3 Id. Aug. 1431, in quo vocatur Canon. Pennensis; & Vic. D. *Iohannis de Vitelleschis*

Non.

Non. Ian. 1435, & D. *Ludovici de Scarampis* 4 Kal. Feb. 1438.

*Marcus* Iohannis de Chastilione Aretino in jure Can. peritus prid. Non. Sept., & Kal. Martii 1432.

*Honofrius de Curialibus* de Cassia Decret. Doctor Vic. D. *Bartholomei de Zabarellis* 5 Kal. Feb. 1440, & Id. Ap. 1445.

*Nicholaus* de Pistorio Decretorum Doctor Vic. Dom. *Bartholomei de Zabarellis* 5 Kal. Feb. 1440, & 4 Id. Apr. 1445.

*Cathalanus de Bartholis* Decretor. Doctor Can. Flor. Vic. ejusdem Idib. Aug. 1439, & 7 Kal. Iun. 1445.

*Michael* de Pistorio Vic. ejusdem 6 Kal. Apr. 1443.

*Thomas de Venis* de Aquila vic. ejusdem 6 Id. Feb. 1443.

*Antonius de Picchinis* Docretorum Doctor Can. Flor. Vic. ejusdem 12 Kal. Iul. 1444, & Vic. D. *Iohannis de Neronibus* prid. Id. Dec. 1463

*Bonaventura de Broccardis* Vic. D. Fr. *Antonii* 10. Kal. Ian. 1447.

*Iohannes de Podio* Vic, ejusdem 1447.

*Martinus de Blanchis* Canon. S. Thome de Bononia Vic. ejusdem 1447.

*Lazzarus de Nardis* Cleric. Aretinus Vic. ejusdem prid. Id. Iun. 1451, & 5 Id. Ian. & 11 Kal. Mart 1453, in quo dicitur Plebanus Plebis S. Andree de Empulo.

Don *Raphael de Primaditiis* Canon. Bononiensis Vic. ejusdem 3 Id. Iul. 1457.

Ven. vir Dom. *Cristoforus* de Podio juris utriusque Doctor Archipresbiter Bononien. Vic. ejus-

ejusdem 7 Id. Nov. 1458, & Vic. D. *Orlandi de Bonarlis* 16 Kal. Feb. 1462.

*Baptista de Panciaticis* Vic. Dom. *Orlandi* 8 Id. Iul. 1459.

*Cristofanus de Valentinis* Canon. Reatinus Vic. D. *Iohannis de Dietisalvis*, & 18 Kal. Nov. 1467.

*Iohannes* Andree Iohannis Malepa de Giachinis de Empulo Vic. ejusdem 1467.

Ven., & Circumspectus vir, ac eximius Decretorum Doctor Dom. *Ardicinus* de la Porta de Novaria Canon. Novariensis Vic. ejusdem Prid. Id. Aug. 1467, & prid. Kal. Maii 1468.

Ven. vir, & egregius Decretorum Doctor Dom. *Iohannes de Rabatta* Can. Flor. Vic. ejusdem 15 Kal. Iul. 1469.

*Dominicus de Bochis* de Parma juris utriusq. doctor Vic. eiusdem 7 Id. Maii 1470, & 4 Kal. Iun. 1472.

Fr. *Iulianus* de Florentia Ord. Pred. Episcopus Citaridiensis Vic., & Locumtenens ejusdem 7 Id. Maii 1473.

*Pilippus Sacramorus* 6 Id. Dec. 1473.

*Bartholinus* de Passirano Decretorum Doctor Archipresb. Ecclesie S. Petri de Azano Brixiens. Diec. Vic. D. *Raynaldi de Vrsinis* 5 Id. Mart. 1474.

*Daniel* de Placentia Episc. Rosensis Vic. ejusdem in Spir. & Temp. Suffraganeus, & Locumtenens 4 Id. Iul. 1477, & 16 Kal. Dec. 1480.

Ven. ac Circumspectus utriusq. Iuris Doctor *Bartholomeus de Aliprandis* Can. Papiensis Vic. ejusdem 5 Id. Mart. 1482.

Ven. vir Dom. *Antonius de Paganis* de Firmo De-

Decretorum Doctor Vic. ejusdem 10 Kal. Ian. 1475, & 4 Non. Iul. 1483.

Ven. vir, & egregius Decret. Doctor Dom. *Antonius de Humiolis* de Gualdo Vic. ejusdem 4. Id. Febr. 1477, & 4 Non. Iul. 1483.

*Philippus de Alamannis* Can. Flor. Vic. ejusdem 16 Kal. Dec. 1480, & 6 Id. Aug. 1495.

Ven. ac Ciscumspectus Vir Dom. *Petrus de Calandris* Decret. Doctor Canon. Camerinensis Vic. ejusdem 7 Id. Maii 1482.

*Dominicus de Mangoneschis* Iuris utriusq. Doctor Canonicus Narniensis Vic. ejusdem 3 Kal. Sept. 1485, & 4 Non. Nov. 1487.

*Hieronymus Tornius* Can. Aretinus Vic. ejusdem Non. Octob. 1488, & prid. Non. Apr. 1509, & Vic. D. *Cosme de Pazzis* 12 Kal. Dec. 1509.

*Bartholomeus de Cenis* de Gualdo Decret. Doctor Vic. D. *Raynaldi de Vrsinis* Non. Ian. 1490, & 4 Id. Iul. 1493.

*Benedictus de Paghagniottis* de Florentia, Episcopus Vasionensis ejusdem Suffraganeus, & Locumtenens 12 Kal. Oct. 1494.

Ven., & egregius Decretorum Doctor Dom. *Theseus de Pinis* de Vrbino Vic. ejusdem 12 Kal. Octob. 1494.

Petrus *Martyr de Rayneriis* de Perusio 16 Id. Oct. 1495 & 11 Kal. Iul. 1496, Vir. ejusdem.

*Leonardus de Medicis* Vic. ejusdem Prid. Non. Ian. 1497.

*Ludovicus de Adimariis* Can. Flor. Vic. ejusdem 1499, *Cosme de Pazzis* Prid. Kal. 1510, & Vic. Dom. *Nicolai de Ridolphis* 13 Kal. Oct. 1528.

Ia-

*Iacobus Caviceus* de Parma Decretorum Doctor Archipresb. Cornilii Vicarius D. *Raynaldi de Vrsinis* 9 Kal. Aug. 1500.

*Donatus de Marinellis* Archidiaconus Aretinus Vic. ejusdem prid. Kal. Ian. 1505.

Honorabilis vir, & eximius Sacrorum Canonum Doctor Dom. *Franciscus de Minerbettis* Archid. Flor. Decretorum Doctor Vic. ejusdem Non. Sept. 1306.

*Vido de Adimariis* Archipresb. Flor. Vic. ejusdem Prid. Kal. Iun. 1508.

*Marconaccius* de Aretio Vic. D. *Cosme de Pazzis* 1513.

Petrus *Gammarus* Bononiensis Vic. *Iulii de Medicis* Kal. Febr. 1514, & 3 Id. Iul. 1520.

*Iacobus Mannelli* Can. Flor. Vic. ejusdem 1514.

*Leonardus de Medicis* Vic. ejusdem 12 Kal. Dec. 1518.

Ven., & Circumspectus vir Dom. *Oratius Celio* de Vtriculo Vic. D. Card. *Nicolai de Rodulphis* 7 Kal. Apr. 1522.

*Ioannes de Statis* de Vrbe Iur. Vtr. Doctor Rev. Dom. *Iulii* Tit. S. Laurentii in Damaso Presb. Card. de Medicis S. R. E. Vicecancellarii, ac Vic. Card. *Nicolai de Rodulphis* 13. Kal. Sept. 1523, & 14. Kal. Nov. 1527.

Petrus *Iacchinius* Sacr. Canonum Doctor, Can. Vulterranus, Vic. ejusdem 19. Kal. Sept. 1529.

*Guilelmus de Folchis* de Florentia Episcopus Fesulanus, ac ejusdem in Spirit., & Temp. Locumtenens,, ac Vicarius, & Officialis 19. Kal. Feb. 1529.

*Benedictus de Bambellis* Decret. Doctor Pleba-

nus

nus Plebis S. Donati in Podio Vic. ejusdem 9 . . 1530.

*Laurentius Mutius* de Civitate Castelli Iuris utriusque Doctor Vic. ejusdem 3 Id. Ian. 1531, & 13 Kal. Iun. 1532.

*Robertus de Montibus* de S. Maria in Georgio Iuris utriusque Doctor Vic. ejusdem 3. Non. Sept. 1531.

*Franciscus de Barlectaniis* de Vulterris Iuris utriusque Doctor, Vic. D. *Andree de Buondelmontibus* 3 Id. Maii 1533.

*Iohannes de Luna* Canon. Flor. Vic. ejusdem 14 Kal. Aug. 1533.

*Antonius de Pretis* de Consilice Iuris utriusque Doctor Vic. ejusdem 6 Kal. Feb. 1538. & Vic. *Antonii de Altovitis* 7 Id. Nov. 1554, & 11 Kal. Ian. 1570.

*Marianus de Tucciis* de Florentia Decret. Doctor Vic. Episcopi Fesulani, & Vic. ejusdem Episcopi Flor. 13 Kal. Nov. 1540.

*Ioannes Maria de Doctoribus* Can. Flor. Vic. Dom. *Andree de Buondelmontibus* 13 Kal. Nov. 1542.

*Benedictus de Mercatis* de S. Miniate Vic. ejusdem 8 Kal. Aug. 1542., & Vic. Card. *Nicolai de Rodulphis* perpetui administratoris Eccles. Flor. 15 Kal. Dec. 1544, & 15 Kal. Apr. 1546.

*Nicolaus de Rodulphis* Can. Flor. Vic. ejusdem 13 Kal. Aug. 1544, & 6 Id. Martii 1547.

*Nicolaus de Bontempis* de Perusio Iuris utriusque Doctor Vic. *Antonii de Altovitis* 11. Kal. Feb. 1549.

*Franciscus Ciccus* de Piscia Prothon. Apost. Can. Flor. Iuris utriusque Doctor Vic. ejusdem

8 Kal. Marr. 1556, & 7 Kal. Sept. 1557.

*Laurentius Bonsignorius* Archipresb. Emporiiensis Canon. Fesul. Iuris utriusque Doctor Vic. ejusdem Prid. Id. Octobr. 1557, & Non. Octobr. 1558.

*Petrus Corsus* ex Comitibus Hystrie Abbas S. Helie Tricaricensis Diec. Iuris utriusque Doctor Vic. ejusdem 7 Id. Sept. 1560, & 16. Kal. Iul. 1564.

*Guidus de Serguidis* Can. Volaterranus Vic. ejusdem Kal. Ian. 1564, & Prid. Kal. Sept. 1568, & 9 Kal. Nov. 1572.

*Iacobus de Aldobrandinis* Can. Flor. Vic. ejusdem 13. Kal. Sept. 1565.

*Ludovicus Martellius* Iuris utriusque Doctor Vic. ejusdem 7 Id. Dec. 1573.

*Sebastianus de Medicis* Canonicus Fesulanus Vic. Dom. *Alexandri de Medicis* Prid. Non. Apr. 1579, & 6 Kal. Oct. 1580.

*Iohannes Franciscus ds Bonamichis* Iuris utriusque Doctor Canon. Flor. Vic. ejusdem 3. Non. Ian. 1585, 3 Id. Aug. 1587.

*Antonius de Beniveniis* Iuris utriusque Doctor Can. Flor. Vic. & Locumtenens ejusdem 11. Kal. Nov. 1587, 4 Id. Nov. 1597.

*Camillus Pandulphinius* Iuris Cons. Can. Flor. Vic. ejusdem 5 Kal. Iul. 1600.

*Alexander Caccia* Vic. ejusdem 5 Kal. Iul. 1600, & 12 Kal. Oct. 1600, in quo jam Episcopus erat Pistorii.

*Cosmus Antellensis* Iuris utriusque Doctor Can. Flor. Vic. ejusdem 7. Id. Sept. 1604, & 17 Kal. Aug. 1606.

*Petrus Niccolinus* Iuris utriusque Doctor Can.

Flor.

Flor. Vic. ejusdem 11. Kal. Mart. 1610, & 4 Non. Iul. 1629.

*Raphael de Medicis* Ecclesiae Flor. Praepositus Vic. Dom. *Alexandri Martii-Medices* 4 Kal. Apr. 1612.

*Horatius Quaratesius* Iuris Consultus Archipresb. Flor. Vic. Dom. *Petri de Niccoliniis* 6 Non. Oct. 1632.

*Vincentius Rabatta* Iuris Cons. Canon. Flor. Vic. ejusdem 6 Kal. Dec. 1632, & 14 Kal. Sept. 1647.

*Vincentius Bardi è Comitibus Vernii*, Abbas, Archid. Eccl. Flor. Vic. Dom. *Francisci de Nerlis* 4 Non. Aprilis 1655.

*Alexander Puccius* Archipresb. Eccl. Flor. Vic. *Francisci de Nerlis* Iunioris 6 Id. Aug. 1679.

*Thomas Bonaventura è Comitibus Gherardeschae* Decanus Eccl. Flor. Vic. Dom. *Leonis Strozzae* 3 Non. Oct. 1700.

*Franciscus Maria Arrighi* Vic. ejusdem 1714.

*Nicolaus de Castellanis* Eccl. Flor. Praepositus Vic. Dom. *Thomae è Comitibus Gherardeschae* 7 Kal. Apr. 1708.

*Vbaldinus de Vbaldinis* Can. Flor. Vic. ejusdem 1714.

*Franciscus Columna* in utraque Signatura Referendarius, & antiquior Ecclesiae Flor. Can., Vic. ejusdem. Hic desideratur in Catalogo Canonicorum Flor. Salvini Salvinii, ideoque recensendus erit cum ceteris, quos superius retulimus pag. 30. ab eodem Salvinio omissis.

*Horatius Mazzejus* Can. Flor. Vic. Dom. *Iosephi Mariae Martellii* 4 Non. Iul. 1725.

*Dominicus de Bardis* Canon. Flor. Vic. ejusdem 1738.

*Iulius del Riccio* Can. Flor. Vic. Dom. *Francisci Cajetani Incontrii* 1743.

*Philippus Gondi* Can. Flor. Vic. ejusdem 1750.

*Antonius Baldovinetti* Can. Flor. Vic. ejusdem 1775.

*Scipio de Ricciis* Vic. ejusdem 1776.

*Laurentius Frescobaldius* Can. Flor. Vic. ejusdem, dein Vic. Capitularis an. 1781, & 1783. Vic. D. *Antonii Martinii*.

*Averardus de Corbolis* Can. Flor. Vic. ejusdem 1785.

*Augustinus Albergotti* Patricius Arretinus Can. Flor., quem Florentina Dioecesis bono suo natum suspicit, veneratur, Vic. ejusdem 1788.

Hac serie Instrumentis in Archivo Diplomatico delitescentibus innixa, plura circa Episcopos Flor. corrigi possunt sphalmata Chronologica, quae inculpabili memoriae lapsu in eorumdem recensione a Borghinio, Vghellio, Leopoldo *del Migliore*, & Cerrachinio confecta saepe saepius occurrunt.

*FINIS.*

| ERRATA | | | CORRIGE |
|---|---|---|---|
| *pag.* | *ver.* | | |
| 9. | 30. | cooperiri | cooperire eas |
| 13. | 18. | Tadae | Tadee |
| 15. | 25. | antonomatice | antonomastice |
| 16. | 17. | iustructus | instructus |
| 42. | 27. | natis | naris |
| 88. | 9. | 1306 | 1506 |